

AH 3APW B


HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

Hymni Ecclesiæ

E BREVIARIIS

QUIBUSDAM ET MISSALIBUS

GALLICANIS, GERMANIS, HISPANIS,

LUSITANIS,

DESUMPTI.

COLLEGIT ET RECENSUIT

JOANNES M. NEALE, A.M.,


COLLEGII SACKVILLENSIS CUSTOS.

OXONII ET LONDINI.

APUD

JOHANNEM HENRICUM PARKER.

M DCCC LI.



OXONII:

EXCUDEBAT I. SHRIMPTON.

VIRO ADMODUM REVERENDO

PATRICIO TORRY, S.T.P.,

MISERICORDIÂ DIVINÂ

EPISCOPO SANCTANDREENSI, DUNKELDENSI, DUMBLANENSI:

QUI, PERSECUTIONE ADHUC SÆVIENTE,

AD SACERDOTIUM VOCATUS,

PERQUE "INFAMIAM ET BONAM FAMAM" INTREPIDUS,

PACEM TANDEM FIDELIBUS REDDITAM

ECCLESIAMQUE CATHEDRALEM FELICITER VIDIT DEDICATAM,

LITURGIÆ ANTECESSORUM DEFENSOR SEMPER INVICTUS:

EÂ, QUÂ PAR EST, REVERENTIÂ

LIBELLUM HUNC

D.

EDITOR.

PRÆFATIO.

Prodierunt, ante duodecim annos, *Hymni Ecclesiæ*, in duos tomos distributi. Ex his, alter Breviarii Parisiensis, alter Romani, Sarisburiensis et Eboracensis hymnos selectiores continebat. Opus sane utilissimum: nec minus nitore formæ quam materiæ excellentiâ, commendatum. Id tantum erat dolendum, ut Hymni Romani ex Reformatione (sive, ut verius dicam, deformatione) Urbani Papæ VIII., potius quam ex incorruptis et suavioribus Liturgiarum antiquiorum fontibus desumerentur.

Anno præterito, publici juris factum est *Hymnale secundum usum insignis et præclaræ Ecclesiæ Sarisburiensis:* et hoc ipso anno ejusdem Hymnalis pars prima prodiit Londini, apparatu critico, notis musicis, variis lectionibus luculentissime instructa. Cujus editor inter homines Hymnologiæ peritissimos omnium consensu locum habebit.

Hæ sunt Hymnorum editiones quæ ad hunc diem nostris temporibus in Angliâ prodierunt. Curæ mihi fuit ne iterum repetam quæ in illis jamdudum leguntur. Quum autem Editio illa

Londinensis non ante a prelo prodierit, quam nostra typis mandata fuerit, pauci qui ibi habentur hymni, et hic invenientur.

De nostris ita se res habet. Ii ex plus minus LXXX Breviariis, (quorum catalogum versa dabit pagina) Ecclesiarum Germanicæ, Lusitanæ, Hispanicæ, Gallicanæ, desumuntur.

Magnam Breviariorum, quibus usus sum, partem Viri Reverendi, et horum studiorum peritissimi, Gulielmi Joannis Blew, humanitati debeo. Accesserunt ex Hispaniâ et Lusitaniâ aliqua, rarissima quidem illa, vel potius prope deperdita: qualia sunt Evorense, Zamorense, Cæsaraugustanum, Bracharense. Accesserunt ex Hymnologiis variis, præsertim vero ex Thesauro Hymnologico V.D. Hermanni Adalberti Daniel, opere nunquam satis laudando, multi ex officiis Germaniæ vetustioribus Hymni. Erant quæ nostro in libello inseruissem, nisi ea jam a Viro Reverendo, Richardo Trench, publici juris facta esse viderim.

Sat certum exploratumque habeo, Hymnos, qui hic multi occurrunt, Ecclesiæ Gallicanæ hodiernos, a vetustioribus quam maxime antecelli. Sed ne hos quidem spernendos esse existimo: imo forsitan eos, qui in his studiis minus exercitati sunt, ad veterem illum veræ Hymnologiæ gustum facilius adducent.

Quod Hymnos attinet Mozarabicos, ii e

Breviario Arevaliano decerpuntur. Arevalus enim primus multos e MSS. eruit, qui Thomasii effugerant oculos. Hymnologiæ Daniellanæ, ut videtur, opus Arevalianum, quod est inter rariora, nunquam patuit. Editor enim non nisi eos dedit, quæ antea excuderat Thomasius.

Notulas quasdam hic illic addidi: emendationesque nostras, si quæ necessariæ videbantur, diligenter notavi. Excipiendæ sunt Hymnorum Mozarabicorum correctiones: quæ tam multæ, et plerumque tam certæ, exstiterunt, ut oculos mentemque lectoris in omnibus recensendis fatigari nollem.

Sunt, fateor, in libello nostro verba, sunt sententiæ, quas aliter a scriptoribus prolatas fuisse velim. Eas tamen reliqui, qui censoris Theologici partes minime in me suscipere vellem. Nec ideo a me singula verba fuisse approbata quia singulos Hymnos publici factos esse juris vidit, credat Lector.

Quod si opusculum nostrum non ingratum iis, quibus hæc placent studia, fuisse intellexerim, prodibit forsan pars secunda, e Breviariis Suecicis, Italicis, Danicis, Slesvicensibus, Polonicis, &c. desumpta.

Dabam e Collegio Sackvillensi,
a. d. iij. Non. Feb. MDCCCLI.

BREVIARIA ET MISSALIA, EX QUIBUS DESUMUNTUR HYMNI SEQUENTES, HÆC SUNT.

Quæ asterisco notantur, ea non nisi ex Hymnologiis mihi innotuerunt.

Abulense	Avila (Old Castile).
Æduense	Dijon.
Ambianense	Amiens.
Ambrosianum	Milan.
Appamiense.	Pamiers.
Audomarense.	S. Omer.
Aurelianense	Orleans.
Auscitanum	Auch.
Autissiodorense	Auxerre.
Bazatanum	Bazas.
Bellovacense	Beauvais.
Bituricense	Bourges.
Blesense	Blois.
Bracarense	Braga (Entre Douro-e-Minho).

Cabillonense.................. Châlons-sur-Sâone.
Cadurcense .... Cahors.
Cæsaraugustanum .... Saragossa.
Catalaunense .... Châlons-sur-Marne.
Carnotense .... Chartres.
Cenomanense .... Le Mans.
Claromontanum (MS.) ... Clermont.
Coloniense .... Cologne.
Compostellanum .... Compostella.
Constantiense .... Coutances.
Corisopitense .... Quimper.
Eboracense .... York.
Ebroicense .... Evreux.
*Erfordiense.................. Erfurdt.
Evorense .... Evora (Alem-tejo).
*Halberstadense .... Halberstadt.
Herfordianum ....Hereford.
Hispalense .... Seville.
Laudunense .... Laudun.
Lemovicense.................Limoges.
Lexoviense .... Lisieux.
Leodiense..................... Liége.
Lumbariense .... Lombez.
Lugdunense.................. Lyons.
*Magdeburgense .... Magdeburg.
Meldense .... Meaux.
Mirapiscense .... Mirepoix.
*Misnense .... Meissen.
*Merseburgense .... Merseburg.

Mimatense .... Mende.
Metense........................Metz.
Molinense..................... Moulins.
Mozarabicum.
Nemausense.................. Nîmes.
Nevernense .... Nevers.
Noviomense .... Noyon.
Oscense .... Huesca.
Parisiense *vetus* (1557) .... Paris.
Parisiense *novum*.
Redonense.....................Rennes.
Remense *vetus* (1549) ...... Rheims.
Remense *novum*.
Rupellense ....La Rochelle.
Rotomagense..................Rouen.
*Salisburgense............... Salzburg.
Sarisburiense..................Salisbury.
Senonense.................... Sens.
Sylvanectense *vetus* (1521) Senlis.
Toletanum .... Toledo.
Tolosanum .... Toulouse.
Trecense .... Troyes.
Turonense.....................Tours.
Viennense.....................Vienne.
Verdunense ....Verdun.
Versaliense .... Versailles.
Zamorense .... Zamora (Leon).

HYMNI PER DIEM[a].

DE COMPLETA[b], DE VIGILIA PRIMA, DE MEDIO NOCTIS.

Lux vera, lucis claritas,
Lucis manens hereditas:
Laus in tenebris promitur:
Precantibus splendor detur.

Te tempus omnis temporis,
Te quicquid in nobis viget
Collaudet in perpetuis
Eternitatis sæculis.

ALIUS[c].

Sol angelorum respice,
Quem concupiscit mentium
Intenta visu castitas
Sursum manentem cernere.

Quo cuncta pollent cælitus
Cursu, recursu, proprio,
Quo vita constat omnium,
Intende grates supplicum.

[a] Qui non aliter notantur, e Breviario sunt Mozarabico.
[b] Ita pro Completorio scribunt Mozarabes.
[c] Manifestum est, hunc hymnum a correctore quodam emendatum fuisse. Formam antiquiorem nunquam vidi.

Da servulis custodiam
Quâ temperentur commoda,
Adversa sint innoxia,
Corrupta ne sint pectora.

Frugalitas tu sensuum,
Sator, salus, refectio,
Potus cibusque, gaudium,
Lux atque virtus cordium.

Repelle membris lubricam,
Ne polluat, lasciviam:
Ne fœda vexet passio,
Culpetque mentis actio.

Virtutis infer copiam
Quâ conferas clementiam,
Oblitus ut peccaminum
Dares quietem temporum.

Votis rogamus affatim,
Superna pax, inlabere:
Quo cuncta tuta perpetim
Serves, subactis scandalis.

ALIUS.

OBSIDIONES obvias
Paremus omnes carminum
Contra tenebrarum ducem,
Contra tetrum satellitem.

Manus perarmet spes, fides:
Lumbos valens crux obtegat;
Cingamur ense Spiritus
Propter timores noctium.

Jesu, manu fortissimâ
Salva fideles per fidem;
Everte adversos cruce;
In pace cuncta protege.

ALIUS.

ADSUNT tenebræ primæ,
Noctis tetræ excursus;
Cum canticis et hymnis
Nunc dedicemur omnes.

Nam tempus illud hoc est,
Quod Jeremias dicit,
Surgendum esse nobis
Primordio in noctis.

Nos spiritus per arma,
Invicta radix David,
Disrumpe vincla noctis,
Et da jubar salutis.

Somno quies sit grata[d],
Mens pervigil resurgat:
Non sordidemur actu,
Nec spiritu gravemur.

[d] Quam corrupte apud Mozarabes legantur hymni, hic versus sit exemplo: qui in Breviario et apud Thomasium ita habetur: "Somno quiescit grata."

Sed corpore et mente,
Et spiritu fervente,
Vestigio impigro
Te consequamur, Christe.

ALIUS.

Lucis Auctor clemens, lumen immensum,
Lumen cujus fulget sanctus eternus
Christus, cum quo regnat cum ipso in unum,
Et Sanctus Spiritus, una potestas.

Tetræ noctis hujus caliginem pelle,
Serpentisque fraude[e], quæsumus, fuga:
Nos armatos crucis signaculo salva,
Sacrosancto tuo Nomine dita.

Pater immortalis, omnium Pastor,
Invidentem hostem frange fuscantem:
Lumen nobis præbe perenne de sancto:
Tenebroso calle non paveamus.

Redemptor eternæ Rex omnis terræ,
Dilectorum pius gemitus attende;
Insidiantem hostem confringe Salvator:
Nos eternæ vitæ redde beatos.

Noctem nobis istam dona quietam:
Insidiantem hostem repelle a nobis:
Crucis signum vincat omne inimicum:
Te, Christe, rogamus,—mane nobiscum.

[e] Vide quæ ad p. 7. de casu ablativo notavimus.

Gloria et honor, potestas et virtus,
Ingenito Deo, Genitoque Christo,
Spirituque simul Paracleto Sancto;
Cujus verbo clarent secula cuncta.

ALIUS.

SURGENTES ad te, Domine,
Atræ noctis silentio,
Vigiliis, obsequiis,
Patrum sequemur ordinem:

Quem nobis dereliquerant
Jure hereditario,
Ministrantes excubiis,
Tibi, Sancte Paraclite.

* * *

Grex tuus tibi deditus
Nullo teratur crimine,
Quem tuo, Christe, Sanguine
Voluisti redimere.

Oves errantes prævide,
Pastor bone piissime;
Ad aulam celsitudinis
Tuis reporta humeris.

Tabefactus et saucius
Abscedat Princeps dæmonum,
Perdat prædam de faucibus
Insatiata rabies.

Exultet Christus Dominus,
Psallat chorus Angelicus:
Laudes sonent in organo:
Tersanctus dicant Domino.

ALIUS.

Jesu defensor omnium,
Protector et mirabilis;
Sueta noctis advenit,
Et nos sopori dediti.

In tuo, Christe, Nomine,
Qui custos et defensor es,
Evigilemus spiritu,
Ut mereamur lampades.

Cantores tuì, Domine,
Quos jubes nocte surgere
Ad invocandum Nomen tuum
Quod nobis est laudabile:

Quem omnis terra metuit
Pro tantâ magnitudine,
Sequamur in laude tuâ
Quod pie, Sancte, poscimus.

* * *

Clamor in nocte factus est:
Jesus ingressus januis
Evigilantes provocat
Intrare sanctâ[f] regiâ.

Gaudebit Sponsus virginum,
Ingressus in cubiculo,
Ubi coronæ Martyrum
Refulgent ante Dominum.

Mercedem tantæ gloriæ
Daturus es credentibus:
Quod nobis sitit animus
Ut mereamur consequi.

Medio noctis tempore
Prophetica vox admonet
Dicamus laudes Domino
Patri semper et Filio,

Sancto quoque Spiritui:
Perfecta enim Trinitas
Uniusque substantiæ
Laudanda nobis semper est.

f Notandum hic et sæpius in Officii Mozarabici Hymnis eam linguæ Latinæ corruptelam inveniri, ex quâ casus ablativus pro accusativo vel nominativo paullatim in usum venit: donec in hodiernâ Hispanorum et Lusitanorum linguâ fixum teneret locum: ut *calle, arvore, commodo,* pro *callis, arbor, commodus.*

Medio noctis tempore
Pergens vastator Angelus
Egypto mortem inferens
Delevit primogenita.

Hæc hora justus est salus,
In qua devictus Angelus
Ausus punire non fuit
Signum formidans sanguinis.

Egyptus flebat fortiter
Natorum dira funera,
Solus gaudebat Israel
Agni protectus sanguine.

Nos verus Israel sumus:
Lætemur in te Domine:
Hostem prosternentes malum
Christi defensi Sanguine.

Medio noctis tempore
Per voce[g] evangelicâ
Venturus Sponsus creditur,
Regni celestis conditor.

Occurrent sanctæ virgines
Obviam tunc adventui,
Claras gestantes lampades,
Magno lætantes gaudio.

[g] Vide quæ ad p. 7. annotavimus.

At stultæ foris remanent,
Quæ extinctos habent lampades :
Frustra pulsantes januam
Clausæ jam Regni regiæ.

Quare vigilemus sobrie,
Stantes lumine splendidi,
Ut adveniente Jesu
Digni occurramus obviam.

Medio noctis tempore
Paulus quoque et Sileas
Pro Christo vincti incarcere
Laudantes resoluti sunt.

Nobis hic mundus carcer est :
Resolve, Christi, vincula,
Nostra relaxa crimina
In te, sancte, credentium.

Dignos nos fac, Rex Agie,
Venturæ Regni gloriæ :
Ut eternis mereamur
Te laudibus concinere.

AD HORAS DIURNAS.

DE TERTIA.

CERTUM tenentes ordinem
Pio poscamus pectore
Horâ diei tertiâ
Virtutem Trini Nominis.

Ut simus habitaculo
Illi Sancto Spiritui
Qui quondam in Apostolis
Hâc horâ distributus est.

Quo gradientes ordine
Ornavit cunctos splendide
Regni celestis Conditor
Eternæ vitæ præmiis.

DE QUARTA.

QUI amne nunc quadrifluo
Evangelistarum rigas
Mundi quaternos cardines,
Audi, precamur, supplices.

Scelus dimitte proprium,
Aufer tepores mentium,
Omnesque dignos effice
Compunctionis munere.

Corpus libido non terat;
Non ira mentem subrepat;
Informet actum veritas;
Servet pudorem castitas.

DE QUINTA.

Qui tot libris per Moysen
In ævum mentem instruis,
Quot sensibus nos corporis
Regi, Redemptor, præcipis;

Fac nos tuis in legibus
Sic permanere perpetim,
Quo spiritu et corpore
Te concinamus naviter.

Repelle quod pavescimus:
Concede quod te poscimus:
Ut te pium mitissimum
Laudemus in perpetuum.

DE SEXTA.

Jam cursus horæ sexies
Rotat diei tempora,
Nos admonens per omnia
Laudes referre debitas.

Nunc Petrus orans, gentibus
Fidem futuram prospicit:
Nunc viva Christus feminæ
Instat fluenta tradere.

Hoc solis ævo mystice
Tres Patriarcha hospitat
Carnis figurâ, nuntios
Sub Trinitatis numine.

Perfecta summi calculi
Hæc prima constat partibus,
Quæ ducta sese perficit,
Tenetque mundi fabricam.

Hæc nempe, Christe, condita
Manet tuâ potentiâ;
Cujus potestas glòriæ
Per cuncta regnat secula.

ALIUS IN SEXTAM[h].

JAM sexta sensim solvitur
Ter binis hora cursibus,
Diesque puncto æquabili
Utramque noctem respicit.

Venite, servi supplices,
Et mente et ore extollite
Dignis beatum laudibus
Nomen Dei cum cantico.

Hoc namque tempus illud est
Quod sæculorum judicem
Injusta morti tradidit
Mortalium sententia.

[h] Invenit Thomasius in MS. antiquissimo Reginæ Sueciæ. Mihi quidem videtur ex aliquo novatore plurimas tulisse correctiones. Commemoratur in regulâ S. Aureliani Episcopi.

Cum sol repente territus
Horrore tanti carminis,
Mortem minatur sæculo,
Diem refugit impium.

Hoc et beatus tempore
Abrahamus fideliter
Peritus in mysterio
Tres vidit, unum credidit.

Hanc ad precandum congruam
Salvator horam tradidit,
Cum diceret fidelibus
Patrem rogandum servulis.

Nec non et ille pertinax
Hostis fidei gratiam
Quam prædicavit gentibus
Hoc est adeptus tempore.

Et nos amore debito,
Timore justo subditi
Adversus omnes impetus
Quos sævus hostis incutit,

Unum rogemus et Patrem
Deum Regemque Filium
Simulque Sanctum Spiritum
In Trinitate Dominum,

Ut quos redemit Passio
Isto peracta tempore,
Posset sub ipso tempore
Servare deprecatio.

DE SEPTIMA.

Auctor perennis gloriæ,
Qui septiformis gratiæ
Das Spiritum credentibus,
Adsiste mitis omnibus.

Expelle morbos corporum,
Mentis repelle scandalum,
Rescinde virus criminum,
Fuga dolores cordium.

Ut quum preces susceperis
Clemens tuarum plebium,
Reddamus omnes gloriam
Trino Deo per secula.

DE OCTAVA.

Octavus horæ circulus
Jam vergit et nos instruit
Diem futuri examinis
Deflere cum suspiriis.

Septem dierum circulus
Nunc tempus omne dicitur:
Octavus ille ultimus
Erit dies judicii.

In quo, Redemptor sæculi,
Non nos in irâ arguas,
Sed a sinistris liberans
In dexteris nos colloces.

DE NONA.

CONVEXA solis orbita
Novem voluta circulis
Horæ peracto tramite
Ter conficit ternario.

Hoc passione[1] tempore
Complevit Auctor omnium,
Et ad laborem vineæ
Misit vocatos servulos.

Hâc Petrus horâ mysticum
Cernit recludi linteum:
Et visionis cogitat,
Terno recursu, terminum.

In hâc canamus gloriam
Cum voce, puris mentibus,
Deo creanti prospera
Per acta justis secula.

[1] Vide quæ ad p. 7. notavimus.

DE DECIMA.

Jam dena nos preceptio
Legis sacratæ præmonet,
Ut in tenebris sæculi
Non militemur crimini.

Ob hoc, Deus, te poscimus,
Ut nos placatus corrigas,
Offensa nostra diluas,
Adversa quæque arceas.

Tu esto nostrum gaudium
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula.

DE UNDECIMA.

Horis peractis undecim
Ruit dies in vesperum:
Solvamus omnes debitum
Mentis benignæ canticum.

Labor diurnus transiit,
Quo, Christe, nos conduxeras:
Da jam colonis vineæ
Promissa dona gloriæ.

Mercede quoque advocas
Quos ad laborem miseras:
Nos in labore adjuva,
Et post laborem recrea.

DE DUODECIMA.

QUOTQUOT diem determinant
Horæ, Deus piissime,
Laudes honoris debitas
Persolvat iste grex tibi.

Jacet dies in vesperum:
Transit supernus Lucifer:
Exurge, mentes innova
Jam spiritali gratiâ.

Discedat umbra criminum:
Pellatur ira dæmonum:
Cubile nostrum visita,
Tuâ, Deus, custodiâ.

ALIUS DE TERTIA.

JAM surgit hora tertia,
Et nos intente currimus,
Psallendi opus implemus,
Christum laudemus Dominum.

Horâ quoque jam Tertiâ
Christus cruce suspensus est:
Voluntatem Patris implevit:
Mundi peccatum abstulit.

Conscendit sedem propriam:
Sedet ad Dei dexteram:
Collaudant Throni Dominum,
Quem perfidi negaverant.

Nos Christum Deum colimus,
Et Judicem [agnoscimus]:
Quem Prophetæ cecinerunt,
Apostoli secuti sunt.

Egressus horâ Tertiâ
Sanctus Pater familias
Per singulos denarios
Conduxit operarios.

In tuâ, Christe, vineâ,
Quam præmio jam cernimus,
Sequamur opus mysticum
Propter promissum optimum.

Præcessit horæ circulus
In quo Sanctus Paraclitus
Apostolorum vascula
De verbo fecit ebria.

Infunde sensum, Domine,
Ut te canamus laudibus:
Christe, Redemptor omnium,
Sanctifica nostrum chorum.

HYMNI PER HEBDOMADAM ORDINARII,

ex Breviariis recentioribus plerumque desumpti.

Die Dominicâ

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

I. E BREVIARIO AUTISSIODORENSI.

Primo die mundum Deus
Verbo creat : primo die
Christus resurgens perditos
Nos, morte victâ, liberat.

Quid desides tenet sopor?
Surgamus omnes ocyus :
Et nocte quæramus Deum,
David ut exemplo docet.

Nostras preces ut audiat,
Suisque donis muneret :
Et expiatos crimine
Reddat beatis sedibus.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
In sæculorum sæcula.

E BREVIARIO CENOMANENSI.

DIE parente temporum
Quo, numen extra proferens,
Rerum Pater, fons omnium,
Verbo fit orbis artifex:

Quo, morte victâ, Filius
Se de sepulchro suscitat,
Donisque mentes igneis
Fæcundat almus Spiritus:

Adsit refusa cordibus,
Quâ ferveamus, charitas:
Quâ prædicemus debitis
Vitæ datorem laudibus.

Qui me supremi Numinis,
Pater, creas imaginem,
Te mente totâ cogitem,
Et corde toto diligam.

Tui simul sim funeris
Novæque vitæ particeps:
Fili, tibi jam consecrer
Amoris igne victima.

Auctor sacrorum munerum,
Et ipse Munus sanctius,
Sis fax perennis, flammeo
Ut te requiram pectore.

Tibi, Deus cordis mei,
Quem deprecor ter optimum,
Toto modo me devovens,
Totis amo te viribus.

Qui nos creavit, laus Patri:
Laus, qui redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Sit par tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

E BREVIARIO CENOMANENSI.

Laudaris, alme conditor,
Orbis creati cantibus:
Te mane primo prædicat
Suis dies præconiis.

Te, Christe, laudat funeris
Homo solutus nexibus:
Sibique plaudat surgere,
Quo te triumpho suscitas.

Par te decet laus, Spiritus :
Qui legis author igneæ
Puro quiescis pectore
Lucens et ardens incola.

In filiis quos et sinu
Almo foves et gratiâ,
Pascente corda flamine
Quantos amores excitas !

Dic, Deus, quâ plenius
Te diligamus, imperas,
Ardoribus fac intimis
Tibi litentur pectora.

Quos consecrasti, Charitas,
Aquis, amore consecra :
Et numini nos altero
Partu redona filios.

Qui nos creavit, laus Patri :
Laus, qui redemit, Filio :
Qui charitate nos foves,
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO LAUDUNENSI.

DEUS, tibi qui sufficis
Tuo beatus numine,
Jubes : creantur omnia :
Et lux vocata prosilit.

Deducis hinc volatiles
Nascentis ævi circulos :
Idemque nutu conditam
Moves, moveri nescius.

Opus novâ dum gloriâ,
Novoque ditas ordine,
Miri laboris artifex
In orbe ludis dexterâ.

Dum lux et umbra mutuo
Tibi, Creator, militant,
Fac alma nobis fulgeat,
Umbris repulsis, charitas.

Tu, Charitas, quâ fervidus
Homo Dei fit particeps,
Et mentium sis una lux,
Et unus ignis cordium.

Ut mens, soluto corpore,
Flammâ liquescens intimâ
Tui sit esca luminis,
Tuisque lumen ignibus.

Qui nos creavit, laus Patri :
Laus, qui redemit, Filio :
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

E BREVIARIO BITURICENSI.

Lucis Creator optime,
Ter Sancte, ter potens Deus,
Qui purus, immutabilis,
Fons Sanctitatis permanes :

Nos qui tuum genus sumus,
Nos, O Pater, quos Numinis
Imagines tui vocas,
Quam pura nos virtus decet!

Tu semper astas mentibus :
Custos vigil tu pectoris
Scrutans recessus intimos
Arcana præsens aspicis.

Nostras, benigne conditor,
Mentes subi, sensus rege :
Omnemque labem criminis
Accensa mundet charitas.

Sic digna conspectus tuos
Mens ferre, quondam tristibus
Vinctis soluta corporis,
Tuo quescit in sinu.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne par Verbum Patri,
Et par utrique, Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

FERIA SECUNDA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

QUAM mira nobis, O Deus,
Paras amoris pignora!
Qui sufficis solus tibi
Mundum creare cogitas.

Tu magna cœli lumina,
Tu noctis umbras et diem
Terræque tractus et maris
Immensus ipse contines.

Ut tempus inceptum fluat
Te velle, te loqui sat est.
Virtus ab æterno latens
Expandit inclusas opes.

Ubi merum subest nihil
Creare non tibi labor:
Quodcunque mente concipis
Vis esse? Jam factum vides.

Extende fortem dexteram:
Te mundus agnoscat Deum:
Jubentis ore prodeat
Opus superbum quod moves.

Orbem potenter qui regis,
Tibi, Pater, cum Filio,
Sancto simul cum Spiritu
Sit summa laus in sæcula.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Tu charitas es, Conditor,
Et quos creas non deserens,
Bono repletos plurimo
Factus Pater, nos diligis.

Densis in umbris nascimur,
Cæcos ab ortu suscipis :
Et inserens te mentibus,
Lux vera, nos illuminas.

Donis secundans gratiæ
Quem lege justus obligas,
Infers onus, sed dexterâ
Onus ferentem sustines.

Ad alta dum nos excitans
Pœnâ moves et præmio,
Vires ministras, arduis
Non impares laboribus.

Quibus remotis Patriâ
Non est manens hic civitas,
Domum manu non conditam
Fundas supernus Artifex.

Mones euntes pergere,
Cursus per auras dirigis;
Quâ moliuntur, es via,
Et quem requirunt, terminus.

Qui tot modis te jugiter
Offers amandum cordibus,
Bonumque summum solus es,
Unum, Deus, te diligo.

Qui nos creavit, laus Patri:
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves,
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

PARTIM E BREVIARIO NOVIOMENSI: PARTIM E LEXOVIENSI.

O NUMEN, O mundi Pater,
Volendo nil non efficis:
Tuæ Deus, potentiæ
Mundum creare ludus est.

Verbo jubes: et protinus
Quod nil fuit fit omnia:
Cœlum superne tenditur,
Inane terram sustinet.

Utrinque colligis suo
Moles aquarum limite :
Et pendulis has nubibus,
Et contines illas mari :

Sic tu, fidelis persequi,
Imples opus quod cæperas :
Hinc excitas nos a tuis
Cessare numquam laudibus.

Quo nos creavit, laus Patri :
Quo nos redemit, Filio :
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Qui nos amore prævio
Tibi, Creator, consecras,
Te quanta nobis optimum
Probant parentem pignora !

Sic nos amas et protegis
Mittas ut orbi Filium,
Quo pax novetur mentibus,
Et expientur crimina.

Per angeli preconium
Severa jura dixeras :
Christique per victoriam
Regnas amoris legibus.

Mersos aquis lustralibus
Qui nos adoptas filios,
Succi salubris compotes
Nos membra Christo sufficis.

Ad nos venis, et intimis
Donas refusus cordibus,
Laudis placentes debitæ
Tibi litemus hostias.

Sit docta lingua, charitas
Quâ tanta dignis cantibus,
Et prædicentur munera,
Et tantus Auctor munerum.

Qui nos creavit, laus Patri :
Qui nos redemit, Filio :
Qui charitate nos foves,
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Altissimi Verbum Patris,
Almæque, Jesu, Virginis,
Bis nostro natus gaudio
Carnisque Factor et caro :

Decursa transit jam dies:
Exaudi preces supplicum:
Fovensque lætos vesperi
Gloriosum lumen suscipe.

Hoc solis ad finem tibi
Incensum sacratum damus:
Cœlestis ut nostris tua
Lux in tenebris fulgeat.

Mentemque fessam dum sopor
Noctis paratæ detinet,
Obscura cedant somnia,
Pectusque purum luceat.

Nullus quietem corporis
Rapiat dolus lasciviæ:
Sed te, Deus, mens consonet,
Tecum cor altum vigilet.

Vocibus, simul cordibus,
Christo, Patri, Spiritui,
Hymnum sonantes in choro
Melo canamus perpetim.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Si splendidis coloribus
Sublime cœlum pingitur,
Manu peritâ vividos,
Deus, colores imprimis.

Rex hâc in aulâ cerneris
Stat pendulis nimbis thronus :
Superque ventorum leves
Pennas triumphans ambulas.

Illic sonoros vitreis
Suspendis imbres nubibus :
Et quas jubes, circumvolans
Procella terras irrigat.

Mittis nives et grandinem,
Rorisque gemmas parturis :
Fulmen vibras, et ignibus
Armas tremendis fulgura.

Tibi rebelles, Conditor,
Metu salubri percute ;
Et subditos non desine
Mollire rore gratiæ.

Dum recreas nos imbribus,
Et dum tonans nos increpas,
Omnes amans in omnibus
Signas amoris pignora.

Qui nos creavit, laus Patri,
Qui nos redemit, Filio :
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

FERIA TERTIA.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Quæ numen unum maxime
Simulque fratres diliget,
Ramis duobus multiplex,
Est una virtus charitas.

Hæc defluit purissimæ
De lucis ipsis fontibus:
Ros est, et imber igneus
Quo molliuntur pectora.

Quos Pacis Auctor protulit
Hâc ditat undâ filios:
Et in superno prodigus
Se donat ipse munere.

Frater suos fratres amans
In charitate permanet;
Et quum Deus sit caritas
Deo potitur hospite.

Qui cordis afflat incola
Amoris ignes mutui,
Hostes in ipsos præcipit
Ut ardeamus ignibus.

Unâ creatos dextera,
Unique fini debitos,
Uno, Deus, de Spiritu
Semper regat nos charitas.

Qui nos creavit, laus Patri,
Qui nos redemit, Filio :
Qui charitate nos foves,
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES

E BREVIARIO MOZARABICO.

Deus, eterni luminis
Candor inenarrabilis,
Venturus diei Judex
Qui mentis occulta vides :

Tu regnum cœlorum tenes,
Et totus in Verbo tu es,
Per Filium cuncta regis,
Sancto Spiritui fons es.

Tu mundi constitutor es ;
Sempiterno Throno sedes ;
Judex, ex alto humilis,
Venisti pati pro nobis.

Tu Sabaoth Omnipotens,
Hosanna summi culminis ;
Tibi laus est mirabilis,
Tu prima es Anastasis.

Tu fidei auditor es,
Et humiles tu respicis ;
Tibi alta sedes Thronus ;
Tibi divinus est honor.

Christo, eternoque Deo
Patri, cum Sancto Spiritu,
In te solvamus munera
A sæculis in sæcula.

E BREVIARIO CADURCENSI.

O QUI diurno lumine
Jam provehi diem jubes,
Jesu, refulge desuper
Puris amoris ignibus.

Te lux agatur arbitro
Quæ te recurrit auspice :
Soli tibi fac vivere
Nos qui tui totum sumus.

Si quando curæ distrahunt,
Nusquam malis nos implicent :
Mens respuat terrestria,
Superna semper appetat.

Deo Patri sit gloria
Ejusque soli Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
In sempiterna secula.

AD VESPERAS

E BREVIARIO SENONENSI.

Deus, jubes: ab aridâ
Aquæ recedunt: nec mora
Unum feruntur in locum,
Et nomen imponis mari.

Suis decora floribus
Apparuit tellus ferax;
Et quas opes condit sinu,
Fecunda mater, protulit.

Mens ecce ceu tellus iners,
Mendaxque fundus, aruit:
Infunde rorem gratiæ
Et uberes fructus dabit.

Deo Patri sit gloria, &c.

E BREVIARIO AMBIANENSI.

Cur aut amictus, aut cibi
Te cura mordet anxia?
Homo, tibi vestem, cibum
Rex ipse mundi providet.

Qui vestit agri lilia
Cœlique nutrit passeres,
Te lilio pluris facit,
Facitque pluris passere.

Escam petenti filio
Lethale virus non dares:
Tibine Cælestis Pater
Pro pane saxum porrigat?

Ergo quiesce providi
Securus in sinu Dei:
Inter patres vel optimos
Se nemo tam probat Patrem.

Quæ vera promisit bona
Sit cura primum quærere:
Si quæris, ultro cætera
Voventis ad nutum fluent.

Tibi, Pater, cum Filio
Almo simul cum Spiritu,
Deo perenni, provido,
Honor, decus, laus, gloria.

FERIA QUARTA

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO VERSALIENSI.

De montis alto culmine
Clangunt tubæ, fulmen micat:
Ignes coruscant fulgurum,
Præsensque Numen nuntiant.

Vocem Tonantis arbitram
Arrecta tellus audiat:
Legem verendi numinis
Orbis tremiscens accipe.

Qui jura præscripsit polo,
Astrisque signavit viam,
Fluctus maris qui temperat,
Hic jussa dat mortalibus.

Huic terra, pontus, sidera,
Cultu perenni serviunt:
An sola gens mortalium
Cultum rebellis abnuat?

Præsta, Beata Trinitas,
Ut, legis ad facem tuæ,
Vitemus omne quod vetas,
Sectemur omne quod jubes.

AD LAUDES.

E BREVIARIO VERSALIENSI.

Quæ jussa saxo credidit
Divina cælans dextera,
Eterna dudum Veritas
In corde nostro sculpserat.

O sancta Lex, certam poli
Pandis viam mortalibus:
Tu mentibus præfers facem,
Gressusque nostros dirigis.

Erroris expers ambulat
Quicunque te velit ducem:
A calle devius perit!
Te quisquis amens abdicat.

Vitam dabis fidelibus,
Necem minaris impiis:
Si pœna terret imminens
Accendat urgens præmium.

Præsta, Beata Trinitas, &c.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO LAUDUNENSI.

Quantâ per orbem gloriâ
Fulges, Creator siderum!
His te Deum micantibus
Offers legendum literis.

Vis? Luna solque prodeunt,
Et astra dicunt, Adsumus:
Et dividentes tempora
Terram faces illuminant.

Lustrant suos dum cursibus
Recursibusque limites,
Quas indicas, non devio
Gressu sequuntur semitas.

Patent latentque sidera
Tuis, Creator, nutibus:
Et prompta semper obsequi
Jugem tibi dant gloriam.

Æther quot ignes exhibet
Tot vocibus te prædicat:
Ut prædiceris plenius
His corda nostra jungimus.

Sit ad jubar tam multiplex
Fas Patriam contingere:
Speique gustu prævio
Libare cœli gaudia.

Qui nos creavit, laus Patri,
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

FERIA QUARTA

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO MOZARABICO.

In matutinis surgimus,
Reddentes laudes debitas
Deo, Jesuque Domino,
In unitatem gloriæ.

Sanctorum choro psallimus,
Cervices nostras flectimus,
Peccata nostra pandimus,
Et genua prosternimus.

Oremus Deum jugiter:
Vincamus in bono malum:
Cum fructu pænitentiæ
Votum perenne reddere

Christum rogamus et Patrem
Christi Patrisque Spiritum,
Ut det nobis auxilium,
Repellens hostem invidum.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Jugis, Deus, lux mentium,
Et mentibus lux invia,
Cum per fidem nos edoces
Te promis et celas simul.

Verbo tuo dum creditur
Velo teguntur credita :
Lux se revelat auribus,
Et mentibus nox incubat.

Sonante plena Numine,
Et facta victrix sensuum,
Fides movet, sed abditur
Manus moventis pectora.

Fides inermis, intimo
Debellat orbem robore :
Jugemque victo gloriam
Suis triumphis addidit.

Vetus recensque colligit
Ætatis omnis filios,
Suisque rugis pulchrior
Est virgo semper integra.

Ab hoste pressa plurimo
Fit firmior conatibus :
Venti ruunt, aquæ tument,
Stat pulsa rupes æquore.

Vicit meam mentem fides ;
Et te, suprema Veritas,
Viis, quibus cœlum patet
Sequor docentem subditus.

Qui nos creavit, laus Patri:
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Sit par tibi laus, Spiritus.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

FUNESTA peccati lues
Fædavit humanum genus:
Homo, tenebris obsitus,
Proclivis in malum ruit.

Ades, salubris gratia;
Tanto medela vulneri:
Tu lumen addis mentibus
Roburque præstas pectori.

Ni luce nostros præviâ
Gressus benigne dirigis,
Cæci vagamur, impares
Sedes mereri patrias.

Tu morbidas septemplici
Mentes lavacro proluis:
Per hos canales profluunt
Nostræ salutis rivuli.

Moventis impulsum Dei,
Mens fida, semper excipe:
Nec dura vel levissimos
Nisus repellas gratiæ.

Sit laus Patri, laus Filio :
Sit par tibi laus, Spiritus :
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet gratiæ.

AD LAUDES.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Fac, o Creator, plenius
Fides per orbem fulgeat :
Et lumen addat mentibus,
Cordique robur inserat.

Scuto tuo nos indue,
Quo consecrati milites
Divina Christi prælia
Non deseramus transfugæ.

Da, tot legamus laureas
Verbi tui sub tegmine,
Quot nos salutis callidi
Hostes sagittis appetent.

Procul recedat pluribus
Error potens astutiis,
Et veritatem fingere
Mendace vultu desinat.

Caliginosos sæculi
Nos inter æstus dirigat,
Quæ se fideli præviam
Nudat lucerna pectori.

Credo, Deus: sed debilem
Auge fidem quâ milito:
Ut exprimentur moribus
Quæ corde credo, dogmata.

Qui nos creavit, laus Patri, &c.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Tuos canamus, Gratia,
Pio triumphos cantico:
Armis tuos victricibus
Ornare gestis milites.

His Mundus armis vincitur:
His claustra panduntur poli:
Quid arma non vincunt, sacro
Respersa Christi Sanguine?

Tu sistis ad Christi pedes,
Dux alma, sontem feminam:
Saulum furore perditum,
Ceu fulmen, exturbas equo.

Versare mentes efficax,
Nutu rebelles allicis:
Durissimum sese tuo
Cor sponte submittit jugo.

Te præda captantem volens
Amat sequi. Nullus trahit
Necessitatis impetus:
Divina sed virtus subit.

Sit laus Patri, laus Filio:
Sit par tibi laus, Spiritus:
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet gratiæ.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Miro, Deus, præconio
Cœli loquaces incolæ,
Mutique cives æquoris
Te Conditorem prædicant.

Te dante motum, transvolant,
Pisces aquas, auras aves;
Et cursibus, quos temperas,
Ludos agunt, et prælia.

Æquis inane motibus
Libratus ales verberat:
Frangis viam quâ labitur,
Celasque signa transitus.

Quis det, columbæ fervidis
Ad astra pennis transferar;
Surgam volatu libero
Terræ tenacis immemor?

Fides ab altis sedibus
Delapsa, donum Numinis,
Alas supernas explicet
Quibus revisam Patriam.

Tunc sancta, quæ caligine
Noctis premuntur, dogmata,
Ruptis aperta nubibus
Pleno patebunt in die.

Qui nos creavit, laus Patri, &c.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Superba gens mortalium
Fastu profano quid tumes?
Quodcunque rectum perficis,
Dei faventis munus est.

Nil viribus debes tuis:
Ni, fons salutis, gratia
Tuos labores provehat,
Nil, vana virtus, efficis.

Dat velle, dat rectum sequi,
Dat ipse quod jubet Deus.
Dum nos coronat, et sua
Simul coronat numera.

Poscamus ergo supplices
Cæleste donum gratiæ:
Nec, sponte quod præbet Deus,
Rebelle pectus respuat.

Sit laus Patri, laus Filio:
Sit par tibi laus, Spiritus:
De corde nostro fac tuæ
Virtus triumphet gratiæ.

FERIA SEXTA

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

O MIRA Patris charitas!
Sic ille dilexit suos
Ut sponte Natum traderet:
Servi fit obses Filius.

Splendoris immemor sui,
Nostræ salutis fit memor:
Ut nos in altum provehat
Ad ima descendit Deus.

Per mille fusum vulnera
Totum dat orbi Sanguinem:
Hoc fonte nascens gratia
Terras inundans expiat.

Qui nos creavit, laus Patri, &c.

E BREVIARIO CADURCENSI.

HOMO creatus innocens,
Suâque culpâ degener,
Christi redemptus sanguine
Grates rependat debitas.

Jactatus undis naufragis
Cælique pulsus litore,
Manu Creantis indiget,
Quâ vivat expers funeris.

Sed hæc viis nos dextera
Æterna ducit asperis:
Et per labores arduos
Dat ut fruamur Patriâ.

Ut saxa, quæ nunc extruit,
Addat supernis ædibus,
Nos, sectione plurimâ,
Aptat peritus Artifex.

Crux est gradus, quo tendere
Ad alta fas est atria:
Cæli futuris alterum
Iter negatur civibus.

Nostrum Caput rigentibus
Christus coronis cinctus est:
Quam delicate vivere
Nos, membra Christi, dedecet!

Da, qui flagellis erudis,
Te diligamus vindicem,
Firmique pennâ spiritus
Nitamur ad te surgere.

Qui nos creavit, laus Patri, &c.

SABBATO

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO CADURCENSI.

VANUS labor quem parturit
Placens sibi superbia:
Sed quantus est quem gratia
Delapsa cœlo consecrat!

Tu fas nefasque prospicis
Deus, Creator omnium:
Actusque nostros lancibus
Scrutator æquis ponderas.

Dum mota per te dextera
Opus diurnum conficit,
Non otiosus arbiter
Nobis ades agentibus.

Afflas superne Spiritum
Quo mens agenda dirigat,
Et sic laboris optimus
Fis Auctor, ut sis præmium.

Ignes sacratos admove
Quibus recepta desuper
Talenta, multo seduli
Reddemus aucta fœnore.

Nostros dies dum temperas,
Sic nos regas, ut unicus
In omnibus negotiis
Sis finis et primordium.

Servus Tibi sum debitus;
Tibique soli, Conditor,
Quem per dierum circulos
Feram, laborem consecro.

Qui nos creavit, laus Patri:
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO MOLINENSI.

Vides, Deus, terræ sinu
Jumenta quæ produxeras:
Videns probas:—nunc grandius
Opus, quod his præsit, moves.

Lutum, peritus Artifex,
Imaginem formas tui:
Ipsam Creatoris manum
Homo creandus exigit.

Imago nos Dei sumus,
Sumus Dei nos halitus.
Sit cura semper integris
Deum referre moribus.

Quidquid creat, totum sibi
Velut duci, subdit Deus :
Ne degener fias, homo,
Tui nec ortus immemor.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
In seculorum secula.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

SPERATE, mortales, gravi
Peccata quos premunt jugo.
Qui sanguis in terras fluit,
Vestræ salutis pignus est.

Divina mundi Victima,
Amando non servas modum :
Cur totus it venis amor ?
Guttam dedisse sufficit.

Immensus hoc amor jubet
Suasque dat leges sibi ;
Hic solus imponit Crucem,
Et crux amanti fit levis.

Sic ergo, Christe, nos amas ?
Salvare sic mundum juvat ?
O ter beatum, cui licet
Tecum pati, tecum mori ?

Qui nos creavit, laus Patri :
Qui nos redemit, Filio :
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Te, Christe, laudent tempora,
Quæ, dante te, sic usibus
Parata nostris serviunt,
Ut te datorem prædicent.

Vitam tuam quo spiritu
Homo, Deusque consecras,
Nostram tuo fac sanctius
Jam consecremus numini.

Curas geret dum plurimas
Foris ministrans dextera,
Cor intus ad te pervigil
Unum gerat negotium.

Tu vitis, in nos palmites
Succos salubres insere,
Quibus supernæ debitus
Fructus feratur Patriæ.

Quos ungis ad certamina
Et roboras stipendiis,
Fortes tuâ pro gloriâ
Da præliemur milites.

Ut post labores impigros
Brevisque vitæ terminum,
Nos, præmiorum prodigus,
Jugi quiete muneres.

Qui nos creavit, laus Patri:
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Te voce mutâ, Conditor,
Expletus orbis prædicat:
Allabitur vox intimis
Audita sæpe mentibus.

Die quiescis septimo,
Quo nos vacare præcipis:
O quanta nobis otium
Duplex adumbrat gaudia!

Orbem regens, et temporum
Vices pares et impares:
Firmo quieta numinis
Stas semper almus pondere.

Jussu tuo laboribus
Dum temperabit dextera,
Inanibus fac liberum
Curis tibi cor militet.

Da, qui fugacis turbidâ
Jactamur undâ sæculi,
Cœli sedentes litore
Pleno fruamur otio.

Tunc gaudiis mens ebria,
Tuique consors sabbati,
Pacis Deus, non desinet
Sinu tuo quiescere.

Qui nos creavit, laus Patri:
Qui nos redemit, Filio:
Qui charitate nos foves
Par sit tibi laus, Spiritus.

E BREVIARIO MOLINENSI.

O Sempiterna Trinitas,
Mundum creas potentiâ,
Jugi tueris conditum
Regisque providentiâ.

Tuo trementes Angeli
Circumvolutum lumine
Ardent videre te, Pater,
Te, Nate, teque, Spiritus.

Pavore sancto territi
En opprimuntur gloria,
Pronique coram procidunt,
Pennisque se velant suis.

Et nos, tui quos nominis
Signat renatos dignitas,
Jam te fide capessimus
Adoptionis filii.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
In seculorum secula.

IN ADVENTU.

I.

E BREVIARIO MOZARABICO.

In Festo SS. Aciscli et comitum ejus, MM.: die xvii. Novembris (ideoque in initio Adventus Mozarabici.)

Gaudete, flores Martyrum,
Salvete, plebes gentium;
Visum per astra mittite,
Sperate signum gloriæ.

Voces Prophetarum sonant,
Venire Christum nunciant;
Redemptionis prævià,
Quâ nos redemit, gratiâ.

Hic mane nostrum promicat,
Et corda læta exæstuant,
Cum vox fidelis personat,
Prænunciatrix gloriæ.

Tantæ salutis gaudium,
Quo est redemptum sæculum,
Exceptionis inclytum
Ex hoc canamus canticum.

Adventus hic primus fuit,
Punire quo non sæculum
Venit: sed ulcus tergere
Salvando quod perierat.

At nunc secundus præmonet
Adesse Christum januis,
Sanctis coronas addere,
Cœlique regna pandere.

Æterna lux promittitur,
Sidusque salvans promitur :
Jam nos jubar refulgidum
Ad jus vocet cœlestium.

Te, Christe, solum quærimus
Videre, sicut es Deus :
Ut læta nos hæc visio
Evellat omni Tartaro.

Quo dum, Redemptor, veneris
Cum candidatis Martyrum
Globis, adunes cœliti
Nos tunc beatos cœtui.

II.

Veni, veni, Emmanuel !
Captivum solve Israel,
Qui gemit in exilio,
Privatus Dei Filio :
Gaude, gaude ; Emmanuel
Nascetur pro te, Israel !

Veni, O Jesse virgula!
Ex hostis tuos ungulâ,
De specu tuos tartari,
Educ, et antro barathri;
Gaude, gaude: Emmanuel
Nascetur pro te, Israel!

Veni, veni, O Oriens!
Salvare nos adveniens;
Noctis depelle nebulas,
Dirasque mortis tenebras:
Gaude, gaude: Emmanuel
Nascetur pro te, Israel!

Veni, clavis Davidica!
Regna reclude cælica,
Fac iter tutum superum,
Et claude vias inferum.
Gaude, gaude: Emmanuel
Nascetur pro te, Israel!

Veni, veni, Adonai!
Qui populo in Sinai
Legem dedisti vertice,
In Majestate gloriæ.
Gaude, gaude: Emmanuel
Nascetur pro te, Israel!

III.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Cunctorum Rex Omnipotens,
Mundum salvare veniens,
Assumpsit formam corporis
Nostræ similitudinis.

Qui regnat cum Altissimo
Virginis intrat uterum,
Nasciturus in corpore
Mortis vincla disrumpere.

Gentes erant in tenebris :
Viderunt lumen fulgoris :
Cum Salvator advenerit
Redimere quos condidit.

Quem olim vatum præscia
Cecinerunt oracula,
Nunc veniet in gloriâ
Ut nostra curet vulnera.

Latemur nunc in Domino,
Simul in Dei Filio,
Parati eum suscipere
Adventus sui gloriâ.

IV.

IN FERIIS ADVENTUS AD LAUDES.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Vox clara terris nos gravi
Somno sepultos excitat:
Umbræ facessant, nox cadat:
Salus adest mortalibus.

Venere tandem tempora:
Rorate, cœli, desuper:
Nobis Deum nubes pluant,
Justumque terra germinet.

Verbum Patris, mundi salus,
Afflicta te vocat Sion:
Audi preces gementium,
Lapsosque sursum subleva.

Adsis, Redemptor, et tuæ
Plebis relaxa crimina;
Quas ira Patris clauserat
Reclude cœlestes domos.

Mundo Redemptor qui venis,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

V.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS (Dec. 18.)

E BREVIARIO MOZARABICO.

A solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem
Christum canamus Principem
Ortum Maria Virgine.

Laudate vestrum Principem
Omnes beati ac perditi,
Ubi imbecilli et mortui
Jam nemo post hæc mortuus.

Fit porta Christi pervia,
Referta plenâ gratiâ :
Transitque Rex,—et permanet
Clausa, ut fuit per sæcula.

Genus Superni numinis
Processit aulâ Virginis,
Sponsus, Redemptor, Conditor,
Suæ Gigas Ecclesiæ.

Honor Matris et gaudium,
Immensa spes credentium,
Per atra mortis pocula
Resolvit nostra crimina.

Lapis de monte veniens,
Mundumque replens gratiâ,
Quem non præcisum manibus
Vates vetusti nunciant.

Qui, Verbum, Caro factus est
Præconio Angelico,
De claustris virginalibus
Virginis virgo natus est.

Rorem dederunt æthera,
Nubesque justum fuderunt:
Patens excepit Dominum
Terra salutem generans.

Exultet omnis anima
Nunc redemptarum gentium,
Mundi venisse Dominum
Redimere quos condidit.

Creator cuncti generis,
Orbis quem totus non capit,
In tua, sancta Genetrix,
Sese reclusit viscera.

Quem Pater ante tempora
Deus, Deumque genuit,
Matris alma virginitas
In tempore partum edidit.

Tollens cuncta facinora,
Et sancta donans munera,
Augmentum lucis adferens,
Damnum tenebris inferens.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque Soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne sæculum.

VI.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

EX HYMNARIO MOGUNTINO.

Puer natus in Bethlehem,
Unde gaudet Jerusalem.

Hic jacet in præsepio
Qui regnat sine termino.

Cognovit bos et asinus
Quod puer erat Dominus.

Reges de Sabâ veniunt,
Aurum, thus, myrrham proferunt.

De Matre natus Virgine
Sine virili semine.

Intrantes domum invicem
Novum salutant Principem.

Sine Serpentis vulnere
De nostro venit sanguine.

In carne nobis similis:
Peccato sed dissimilis.

Ut redderet nos homines
Deo et sibi similes.

In hoc natali gaudio
Benedicamus Domino.

Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine.

VII.

IN EODEM FESTO.

NATO nobis Salvatore
Celebremus cum honore
   Diem natalitium:
"Nobis datus, nobis natus,"
Et nobiscum conversatus
   Lux et salus gentium.

Eva prius interemit:
Sed Servator nos redemit
  Carnis suæ merito:
Prima parens nobis luctum,
Sed Maria vitæ fructum
  Protulit cum gaudio.

Negligentes non neglexit,
Sed ex alto nos prospexit,
  Pater mittens Filium.
Præsens mundo, sed absconsus,
De secreto tanquam Sponsus
  Prodiit in publicum.

Gigas velox, gigas fortis,
Gigas nobis victor mortis
  Accinctus potentiâ:
Ad currendam venit viam
Complens in se prophetiam
  Et Legis Mysteria.

Jesu, nostra salutaris
Medicina, singularis
  Nostra pax et gloria:
Quia servis redimendis
Tam decenter condescendis,
  Te collaudant omnia.

VIII.

IN EODEM FESTO.

O TER fæcundas, o ter jucundas
  Beatæ noctis delicias
Quæ suspiratas e cœlo datas
  In terris paris delicias.

Gravem primevæ ob lapsum Evæ
  Dum jamjam mundus emoritur ;
In carne meus, ut vivat, Deus
  Sol vitæ mundo suboritur.

Æternum lumen, immensum numen
  Pannorum vinculis stringitur :
In vili caulâ excelsus aulâ
  Rex cœli bestiis cingitur.

In cunis jacet, et infans tacet,
  Verbum, quod loquitur omnia :
Sol mundi friget, et flamma riget :
  Quid sibi volunt hæc omnia ?

Quod in spelæum depressit Deum,
  O hoc amoris telum est :
Astra valete, antra salvete !
  Jam mihi stabulum cœlum est.

IX.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO BITURICENSI.

Mundo tenebris obsito
En verus affulget dies:
Vanæ figuræ desinant:
Adest propinqua veritas.

Cessent gementum lacrymæ,
Cessent Patrum suspiria:
Consors Tonantis Filius
Fit pacis obses mutuæ.

Inops et exul pellitur
Qui jura terris dividit:
Fit Conditoris siderum
Præsepe vile regia.

Infans Creator omnium,
Auctor salutis, nascere:
Veni, Supreme Pontifex
Mundi futurus victima.

Mundi Redemptor qui venis,
Jesu, tibi laus maxima,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

X.

IN EODEM FESTO.

Ave Jesu, Deus Magne,
Ave Puer, mitis Agne,
Ave Deus, Homo nate,
In præsepi reclinate!
O Potestas, o egestas,
  O Majestas Domini:
O Majestas,
  Quid non præstas homini?

Ut me pauperem ditares,
Ut me perditum salvares,
Jaces pannis involutus,
Omni ope destitutus:
O Potestas, o egestas,
  O Majestas Domini:
O Majestas,
  Quid non præstas homini?

Inter bruta quam dejectus
Vagis, Patris o Dilectus!
Judex summe, verus Deus,
Propter me fis homo reus!

O Potestas, o egestas,
  O Majestas Domini :
O Majestas,
  Quid non præstas homini ?

O mi Jesu, cor devotum
Post te trahe, sume totum,
Igne tuo sancto ure,
Ah, ah ! penitus combure !
O Potestas, o egestas,
  O Majestas Domini :
O Majestas,
  Quid non præstas homini ?

Procul vanos hinc amores,
Procul malos arce mores ;
Tuis meos aptos finge,
Æterno me nexu stringe :
O Potestas, o egestas,
  O Majestas Domini :
O Majestas,
  Quid non præstas homini ?

XI.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

AD SECUNDAS VESPERAS.

UMBRÂ sepultis lux oritur nova ;
Mundo stupenti se Deus exhibet :
Infans Creator, Virgo Mater,
Seque minor Deus ipse factus.

Numen supremum de Patre Numine,
E Matre prodit passibilis Deus :
De Fonte lucis, Lux perennis
Carne suos radios obumbrat.

Compressa strictis brachia fasciis
Librata mundi pondera sustinent :
Lactante nutritur parente
Cœlicolum cibus ipse jugis.

Homo superbus corruerat miser :
Se deprimendo nos Deus erigit :
Fit Numen eternum Puellus :
Jamque Deum licet æmulari.

Ergo per orbem Rex novus imperet
Quondam timendus vindice dexterâ.
Inermis ardet nunc amari :
Corda tuis, Puer, ure flammis.

Laus summa Patri, summaque Filio :
Sit, Sancte, compar laus tibi, Spiritus :
O Numen infans, spes quieta
Vindice te redeat salutis.

XII.

IN EODEM FESTO.

Jam Radix Jesse floruit,
Et virga fructum genuit ;
O ter beatum nuntium,
Solamen dulce mentium !
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Salvator mundo datus est,
Et Deus Homo factus est ;
Hanc diem fecit Dominus,
Quam cernimus nunc cominus.
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Maria Jesum edidit,
Nec Virgo florem perdidit :
Astra sonate laudibus :
Terra resultet plausibus !
Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Pastores gregem linquite :
Ad cunas cito currite :
Natum Puellum visite,
Cum Angelis concinite
    Alleluia, Alleluia, Alleluia.

De Sabâ Reges surgite :
Quo stella ducit, pergite :
Offerte dona parvulo ;
Genu curvate Jesulo.
    Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Sit Trinitati gloria,
Per quam hæc facta gratia :
Cum matre natum Jesulum
Collaudet omne sæculum.
    Alleluia, Alleluia, Alleluia.

XVII.

IN EODEM FESTO.

Ecce nova gaudia
Anni reduxit orbita :
Facit hæc solemnia
Nativitas Dominica :
Quapropter cuncti mortales
Hilariter, hilariter, hilariter, hilariter
    Conjubilemus.

Cum lætentur superi,
Congaudeant et inferi :
Est enim tam splendidi
Communis causa gaudii.
Quapropter cuncti mortales
Hilariter, hilariter, hilariter, hilariter
Conjubilemus.

Aspirante Flamine,
Non de virili semine,
Ex Mariâ Virgine
Salvator natus hodie :
Quapropter cuncti mortales
Hilariter, hilariter, hilariter, hilariter
Conjubilemus.

Satanæ chirographum
Tollet et omne debitum,
Omnibusque superum
Aperiet palatium.
Quapropter cuncti mortales
Hilariter, hilariter, hilariter, hilariter
Conjubilemus.

Quid pro tanto munere
Reddemus tibi, Domine ?
Quæsumus has suscipe
Quas grates damus carmine.
Quapropter cuncti mortales
Hilariter, hilariter, hilariter, hilariter
Conjubilemus.

XVIII.

IN EODEM FESTO.

In hoc anni circulo
Vita datur sæculo,
Nato nobis parvulo
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Quod vetustas suffocat
Hoc ad vitam revocat;
Nam se Deus collocat
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Adam pomo vescitur;
Et sudor repellitur
Sui vultus hodie
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Noe pro diluvio,
Clauso foris ostio,
Arcam intrat hodie
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Serpens ille callidus
Cunctis animalibus
Suffocatur hodie
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Stella solem protulit,
Sol salutem contulit
(Nihil tamen abstulit)
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Sine viri copulâ
Florem dedit virgula,
Qui manet in sæcula
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Puer circumciditur,
Sanguis ejus funditur;
Vita restituitur
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

O beata femina
Cujus casta viscera
Abluerunt crimina
Per virginem Mariam.
  Verbum caro factum est
  Per virginem Mariam.

Ex virgine regiâ,
Mundi regis filiâ,
Plena datur gratia
Per virginem Mariam.
  Verbum caro factum est
  Per virginem Mariam.

In præsepi ponitur,
Et a brutis colitur ;
Matris velo tegitur
Per virginem Mariam.
  Verbum caro factum est
  Per virginem Mariam.

Ab angelis concinitur,
Gloria et pax dicitur,
A pastoribus quæritur
Cum virgine Mariâ.
  Verbum caro factum est
  Per virginem Mariam.

Joseph nato fruitur,
Natus lacte pascitur,
Vagit, plorat, tegitur
Per virginem Mariam.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

Ergo nostra concio
Omni plena gaudio
Psallat cum tripudio
Cum virgine Mariâ.
    Verbum caro factum est
    Per virginem Mariam.

XIX.

IN EODEM FESTO.

ALTITUDO quid hic jaces
  In tam vili stabulo ?
Qui creasti cœli faces
  Alges in præsepio ?
O quam mira perpetrasti
  Jesu propter hominem !
Tam ardenter quem amasti
  Paradiso exulem.

Fortitudo infirmatur :
  Parva fit immensitas :
Liberator alligatur :
  Nascitur divinitas.

O quam mira perpetrasti
  Jesu propter hominem!
Tam ardenter quem amasti
  Paradiso exulem.

Premis ubera labellis,
  Sed intactæ Virginis:
Ploras vividis ocellis,
  Cœlum replens gaudiis!
O quam mira perpetrasti
  Jesu propter hominem!
Tam ardenter quem amasti
  Paradiso exulem.

XX.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO EVORENSI.

Quo te, Virtus Summi Regis
  Deduxit humilitas?
Ut humani curam gregis
  Caperet humanitas,
Et Judææ factor legis
  Esset Dei claritas!

Quo te, cor iniquitatis
  Attulit superbia,
Ut contemneres elatis
  Oculis humilia?

Et tumescens Dei datis,
  Sperneres eloquia ?

Nobis adsit gloriari
  In præsepi Domini :
Qui dat velle, qui dat fari,
  Qui dat posse homini :
Qui et det annumerari
  Beatorum agmini !

Genitori Genitoque
  Laus et jubilatio ;
Salus, honor, virtus quoque
  Sit et benedictio ;
Procedenti ab utroque
  Compar sit laudatio.

XXI.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

E BREVIARIO AMBROSIANO.

DUCI cruento Martyrum
Novum canamus canticum :
Quod dulce sit psallentibus,
Opem ferat credentibus.

Dicamus hymnum supplices
Palmas canendo militis :
Qui primus inter Martyres
Christi secutus est crucem.

Aris dicant apostoli,
Dei probatum laudibus:
Ut signa mortis conterens
Ferret coronas nominis.

O præferenda gloria!
O nobilis victoria!
Levita fuso cælicas
Rigat cruore laureas.

Sancto repletus Spiritu,
Vultuque compar Angelis,
Jesu fidem dum nunciat,
Emit triumphum sanguine.

Ut lætus axem suscipit,
Videt Patrem cum Filio,
Monstrans in astris vivere
Quem plebs volebat perdere.

At tota saxis durior
Judæa saxa conjicit:
Simul sepulchro et funeri
Datura Christi militem.

Levita gaudens vertice
Ictus furentes excipit:
Rogansque Numen jugiter,
Ad astra mittit spiritum.

Jesu, tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

XXII.

IN EODEM FESTO.

AD PRIMAS VESPERAS, IN QUIBUS FIT COMMEMORATIO OMNIUM SS. MARTYRUM.

E BREVIARIO BRACHARENSI.

Sancte Dei pretiose protomartyr Stephane,
Qui virtute caritatis circumfultus undique
Dominum pro inimico exorasti populo:

Tu cœlestis primitivus signifer militiæ,
Veritatis assertivus, testis primus gratiæ,
Fundamento lapis vivus, basis patientiæ.

Saxo cœsus, non mucrone, per saxorum cuspides
Corpus membri passione cirumcidi prævides:
Ad decorem sunt coronæ rubricati lapides.

Tu cœlorum primus stratam consternis lapideam:
Tu per Christum hebetatam primus transis rhomphæam:
Primum granum trituratum ditas Christi aream.

Tibi primum reseratæ cœli patent januæ:
Jesum vides potestate cui pugnas strenue;
Stans cum Patris majestate tecum est assidue.

O beate Protomartyr, circa stantes plurimi
Martyres, quisque coronam indutus pro meritis,
Uno ore beatorum vocant beatissimum.

Igne, ferro, aquâ, fune, bestiarum dentibus,
Torti, vincti, cæsi ibant ovantes in Patriam,
Ubi animæ justorum claro gaudent lumine.

Quibus, Cœli Dominator, tu peccantes servulos
Magnâ jubilatione addas fine sæculi,
Ut cum illis nomen tuum laudemus perpetuo.

Gloria et honor Deo qui cruore roseo
Coronavit, et locavit in throno sidereo:
Salvet reos, solvens eos a mortis aculeo.

XXIII.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Sacer Octavarum dies
Hodiernus rutilat,
Quo secundum carnem Christus
Circumcisus traditur:
Patri, non adoptione,
Sed co-æternus genere.

Spiritu completur alvus
Incorruptæ Virginis:
Quæ pariens mansit semper
Virgo, quam puerperam
Illibatam Genetricem
Proles castam elegit.

Inde Simeon grandævus
Ovans ulnis accipit,
Amplexusque videbatur
Salutare Domini:
Resolve jam nunc in pace
Artus istos fragiles.

Sed nec illi impar Anna
Continentiâ gradiens,
Quam in flore juventutis
Conjux viduaverat,
Vagientem confitetur
Fore mundi Principem.

Impleta est priscæ in eo
Legis Circumcisio,
Utriusque ut Testamenti
Se auctorem ostenderet:
Qui manens in Trinitate
Universa conderet.

Gloria et honor Patri
  Usquequoque Altissimo:
Una Patri, Filioque,
  Inclyto Paraclito:
Cüi laüs, et potestas
  Per eterna secula.

XXIV.

IN DOMINICA ANTE EPIPHANIAM.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Agni genitor Domine,
Verbum natum de Virgine,
Conceptum sine semine
Dux luminis, et fons Vitæ:

Esto nobis in salutem
Filius Dei Unice:
Gubernator Jesu Christe,
Ad precem nostram aspice.

In mundum nobis missus es
Captivos representare,
Lumen cæcis reformare,
Mutarum linguas solvere.

Ne nos relinquas, Domine,
Omnium conditor pie:
Propitius miserere
Qui nullum cupis perdere;

O Rector mundi Domine,
Salvator Unigenite,
Tu nos a morte protege,
Ab inimicis redime.

Christus Dominus vigilet,
Fidesque nostra germinet:
Zabuli discedat munimen,
Nec valeat subripere.

Per Jesum Christum Dominum,
Qui regnat cum Deo Patre,
Et nos dignavit docere,
Credamus in Trinitate.

XXV.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

E BREVIARIO SENONENSI.

Quicumque Christum quæritis
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Regale vexillum Dei.

En stella Sole clarior
Novum Magis pandit jubar :
Natumque terris nuntiat
Sub carne mortali Deum.

Gressus Magi mox dirigunt
Stellam sequentes præviam :
Natum vident ; et quæ decent
Dant procidentes munera.

Hic est Homo, Rex, et Deus :
Hi thure prædicant Deum,
Auri tributo Principem,
Myrrhâque mortalem notant.

O civitates Bethlehem
Inter beata principes :
Ex te venit dux Israel,
Præbes Deo cunabula.

Qui te revelas gentibus
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre cumque Spiritu
In sempiterna sæcula.

XXVI.

AD SECUNDAS VESPERAS.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

PRIMA victricis fidei corona,
O Magi! cœlo celeres vocante,
Sancta vos laudant, fideique primos
Festa triumphos.

Quis dolor, cum vos (veluti vagantem
Æquoris circum vada cæca navem)
Occulens vultum dubios viarum
Stella reliquit!

Sed fides vincit: Solymis euntes
Sidus assurgens recreat: domoque
Insidet, Regem puerum revelans
Lumine prono.

Dona dant sacro pretiosa sensu;
Thure dum Numen celebratur: auro
Rex: Homo myrrha: meliora donis
Pectora libant.

Ne, Sion, ultra sterilis vocare:
Surgit afflictæ tibi multa proles:
Afflues natis: resera parentes
Gentibus ulnas.

Separans olim paries, solutus:
Ambo nunc corpus coeunt in unum:
Dissiti pridem populi revincit
Fœdera Christus.

Summa laus Patri: simul æqua Nato
Ad Fidem gentes hodie vocanti:
Omne, non impar, tibi sit per ævum
Gloria, Flamen.

XXVII.

IN DOMINICA SECUNDA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ.

AD VESPERAS.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Christe, Lux mundi, Salus, et potestas,
Qui diem solis radiis adimples,
Noctis et fulvæ faciem decoro
Sidere pingis.
Ecce vergentem rotat hora solem
Vesperi rursum referentis ortum:
Hinc et astrorum chorus omnis alto
Surgit Olympo.
Nos pio cultu tibi præcinentes,
Vocibus sacros modulamur Hymnos:
Sensibus totus simul excitamur
Pangere laudes.
Præstet ut votum: ferat ut medelam:
Donet ut nostris veniam delictis:
Firmet ut sensus: placide quietos
Mulceat artus.

Et licet noctis subeant profunda
Horridis mundi tenebris operta,
Mens tamen nostræ fidei superno
Splendeat ortu.

Desinent culpæ : vigilet vicissim
Noster inlabens animus : nec ullus
Audeat nostros lacerare sensus
Dæmonis astus.

Cor enim nostrum vigilet superne,
Somniet Christum, Dominumque semper
Inserens Psalmis, meditetur Hymnos
Nocte dieque.

Gloriam summo celebret Parenti,
Gloriam Christo, pariterque Sancto :
Prædicet Trinum pia turba Nomen
Omne per ævum.

XXVIII.

IN DOMINICIS A CIRCUMCISIONE AD PRÆSENTATIONEM.

E BREVIARIO BITURICENSI.

Adeste vos, O Cœlites :
Adeste, mortales simul :
Dat ecce vobis Parvulus
Magnum Puer spectaculum.

O dulcis, o lactens Puer,
Quo pristinus cessit decor ?
Ingens tibi cœlum domus,
Vilique sub tecto lates.

Quæ fulmen horrendum tenens
Cœlos trementes concutit,
Circumvoluta fasciis,
Captiva stringitur manus.

Hanc sponte vinclis alligas,
Ut nostra solves vincula:
Et sponte fundis lacrymas,
Quæ nostra delent crimina.

Qui lætus in sinu Patris,
Eterna gustas gaudia,
Nunc mæstus in terris doles,
Nec flere te pudet Deum.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

XXIX.

IN DOMINICIS A CIRCUMCISIONE AD PRÆSENTATIONEM.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

O TER beata Nazareth
Quæ numinis fis hospita:
Tuisque sub magaliis
Celas Tonantis Filium!

Infante de Deo refer
Secreta quanta noveris:
Huc, cæca gens mortalium,
Tantis stupe miraculis!

Satus Deo volens tegi
Elegit obscuros lares:
Qui fecit eternas domos,
Domo latet sub paupere.

Cœlum manus quæ sustinent
Fabrile contrectant opus:
Cui pronus orbis subditur
Se sponte fabro subjicit.

Superbientes deprimit
Nostri tumores pectoris;
Infantiumque nos docet
Parare cœlos indole.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

XXX.

IN SABBATO ANTE DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ.

E BREVIARIO MAGDEBURGENSI.

Alleluia, dulce carmen, vox perennis gaudii,
Alleluia vox süavis est choris cœlestibus
Quam canunt Dei manentes in domo per sæcula.

Alleluia læta mater concinis Jerusalem,
Alleluia vox tuorum civium gaudentium:
Exules nos flere cogunt Babylonis flumina.

Alleluia non meremur nunc perenne psallere:
Alleluia nos reatus cogit intermittere:
Tempus instat, quo peracta lugeamus crimina.

Unde laudando precamur te, Beata Trinitas,
Ut tuum nobis videre Pascha des in æthere,
Quo tibi læti canamus Alleluia dulciter.

XXXI.

A DOMINICA SEPTUAGESIMÆ AD FERIAM IV. CINERUM AD COMPLETORIUM.

E BREVIARIO LUMBARIENSI.

Quæ legis ante tempora
Sub lege fecit et Patres
Justos fides: sub gratiâ
Tot Christianos parturit.

Nunc ergo nubem testium
Quæ lucis ostendit viam,
Spectemus: et veram fidem
Sanctis probemus moribus.

Agnoscat auctorem suum
O Christe, nostra te fides:
Nobis eam da crescere:
Nobis eam da perfici.

Dum corpus aggravat sopor
Cor clamet ad te liberum:
Amemus usque: caritas
Nunquam precari desinat.

Qui semen Abræ suscipis
Jesu, tibi sit gloria:
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula.

XXXII.

IN FESTO INVENTIONIS PUERI,

Qui olim celebrabatur in quibusdam Germaniæ septentrionalis Ecclesiis, in Feriâ Quintâ post Dominicum Sexagesimæ.

E BREVIARIO BRANDENBURGENSI.

Festiva nobis gaudia
  Jesu inventi Pueri
Devota dat materia
  Fructus ventris Virginei.

Mater virgo mæstissima
  Jesum quærit per triduum :
Amissum sed lætissima
  In Templo cernit Filium.

Quanta Matris lætitia,
Dum currit, replet intima,
Natum suum dulcissimum
Inter doctos doctissimum.

Felix, nobis, Christifera
  Confer ut culpis perditum
Quæramus cum frequentiâ,
  Et non perdamus habitum !

Laus Patri sit, et Genito
  Simulque Sancto Flamini,
Qui Genitricis merito
  Nos cœli jungat agmini !

HYMNI QUADRAGESIMALES.

XXXIII.

IN FERIIS QUADRAGESIMÆ AD NONAS.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Recedit inclinans dies:
Sic vita præceps labitur:
Sanctus supernam jugiter
Aspiret ardor Patriam.

Da Christe, da tandem tuos
Cœli quiete perfrui:
'Fac lucis usuræ brevi
Eterna succedat dies.'

Præsta, beata Trinitas
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorium munera.

XXXIV.

IN OFFICIO NOCTURNO.

E BREVIARIO CADURCENSI.

En tempus acceptabile,
Tempus salutis nuntium,
Quo pœnitentis fletibus
Patet thronus clementiæ.

"Utamur ergo parcius
Verbis, cibis, et potibus,
Somno, jocis, et arctius
Perstemus in custodiâ."

Se pascat ægris lacrymis
Dolor refusus pectore,
Deumque per suspiria
Fervore tentet judicem.

Cœlestis ardor ingerat
Subire tecta frigida,
Ubi recumbit indigens,
Et ipse Christus esurit.

Hic largiore dexterâ
Opes refundat charitas:
Cœloque prudens transferet,
Festina ne mors auferat.

Tibi, Deus, nos consecra,
Novis amoris ignibus,
Da puriora ferveant
Intus forisque pectora.

Laudanda semper Trinitas,
Nunc prædicanda plenius,
Per casta fac jejunia
Tibi fideles militent.

XXXV.

AD LAUDES.

SACRO Deus jejunio
Qui me piari præcipis,
Affla tuo me Spiritu,
Meisque votis annue.

Tuis sagittis saucius
Servus tibi se subjicit:
Reum fatentem crimina
Flecti paratus suscipe.

Culpis tibi quot displicet,
Tot cor litet doloribus:
Ultrix suo fac charitas
Adurat igne victimam.

Quem fontibus lustraveras,
Meis lava me fletibus:
Et me mihi jam disparem
Admitte rursus filium.

Cordis medullis noxii
Labes latentes inspice:
Et quas scio, quas nescio,
Mundante dele dextera.

Ut sanitati redditus,
Durisque liber vinculis,
Tibi, Deus clementiæ,
Laudes perennes offeram.

Laudanda semper Trinitas,
Nunc prædicanda plenius,
Per casta fac jejunia
Tibi fideles militent.

XXXVI.

IN FERIIS TERTIIS QUADRAGESIMÆ AD VESPERAS.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Christe, lumen perpetuum
Astrorum, fulgor luminum,
Noctem nostram illumina,
Conserva pura pectora.

Nullus incidat laqueis:
Nullus gravetur hostibus:
Nec maculentur corpora
Lasciviâ per soporem.

Custodi corda omnium,
Fideliumque maxime
Protectione propriâ,
Tuâ, Christe, potentiâ.

Ut gratuletur anima
Vidisse lucem prosperam,
Implesse vota debita
Reddenda tibi, Trinitas.

XXXVII.

IN FERIIS SEXTIS QUADRAGESIMÆ AD COMPLETORIUM.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Christe, precamur, annue:
Mistasque voces fletibus
Semper benignus et pius
Venturam in noctem suscipe.

Te corda nostra somnient:
Te per soporem sentiant:
Tuamque semper gloriam
Vicinâ luce concinent.

Vitam salubrem tribue:
Nostrum calorem refice:
Tetram noctis caliginem
Charitas tua illuminet.

Hymnis vota persolvimus,
Vesperque sacrum poscimus:
Nostrum delens chirographum
Tuumque præstans editum.

XXXVIII.

IN SABBATIS QUADRAGESIMÆ AD LAUDES.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Deus, Creator omnium,
Auctor lucis et diei,
Perlustra corda omnium,
Jesu bone, fidelium.

Lucescat habitaculum,
Tuum, Christe, hospitium:
Nostræque tectum animæ
Figmentum tuæ dexteræ.

Tuo amore proprio
Quo ipse commercatus es,
Lucratus Deo animas
Tuâ morte ultroneâ.

Lætetur caro fragilis,
Simulque et homo interior,
Vicisse noctis tenebras
Perennis lucis lumine.

Diei hujus gratiâ
Concede sine crimine
Custodiâ perpetuâ
Fruamur tuâ, Domine.

XXXIX.

AD TERTIAM IN QUADRAGESIMA.

HYMNUS AMBROSIANUS.

Jam surgit hora tertia
Quâ Christus ascendit Crucem:
Nil insolens mens cogitet,
Intendat affectum precis.

Qui corde Christum suscipit
Innoxium sensum gerit,
Votisque præstat sedulis
Sanctum mereri Spiritum.

Hæc hora, quæ finem dedit
Diri veterno criminis,
Mortisque regnum diruit,
Culpamque ab ævo transtulit.

Hinc jam beata tempora
Cœpere Christi gratiâ,
Fide replevit veritas
Totum per orbem ecclesias.

Celsus triumphi vertice
Matri loquebatur suæ,
En filius, mater, tuus!
Apostole,—en mater tua.

Prætenta nuptæ fœdera
Alto docens mysterio:
Ne Virginis partus sacer
Matris pudorem læderet.

Cui fidem celestibus
Jesus dedit miraculis,
Nec credidit gens impia:
Qui credidit salvabitur.

Nos credimus Natum Dei,
Partumque Virginis sacræ;
Peccata qui mundi tulit,
Ad dexteram sedens Patris.

XL.

IN DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ AD VESPERAS.

E BREVIARIO MOZARABICO.

ALLELUIA piis edite laudibus
Cives ætherei: psallite unanime
Alleluia perenne.
Hinc vos perpetui luminis accolæ
Ad summum resonate hymniferis choris
Alleluia perenne.

Vos Urbs eximia suscipiet Dei
Quæ lætis resonans cantibus, excitat
Alleluia perenne.
Felici reditu gaudia sumite
Reddentes Domino glorificum melos,
Alleluia perenne.
Illic Regis honor vocibus inclytis
Jucundo resonat carmine perpetim
Alleluia perenne.
Hoc fessis requies, hoc cibus, hoc potus
Oblectans reduces, haustibus affluens;
Alleluia perenne.
Dum te suavisonis conditor affatim
Rerum, carminibus, laudeque dicimus
Alleluia perenne.
Te, Christe, celebrat gloria vocibus
Nostris, omnipotens: ac tibi dicimus
Alleluia perenne!
Alleluia perenne!

XLI.

IN FERIA SEXTA HEBDOMADÆ PRIMÆ IN QUADRAGESIMA.

(Festo S. Faciei Christi in Passione deformatæ.)

E BREVIARIO MELDENSI.

O ADORANDI sacra Forma Christi,
Tristis extincto Facies decore!
O reos propter patientis ultro
Regis Imago!
Quam tibi dispar species ab illâ
Monte quâ celso Deus emicabas,
Atque vincebas rutilante circum
Lumine solem!
Hos vides vultus! Simul huc coactæ
Confluunt pœnæ, maculosa sputa,
Triste fel, spinæ, colaphi, procacis
Scommata turbæ.
Asperum spinis diadema monstrat
Debitam summo capiti coronam:
Hæc refert demens et acerba verum
Fictio Regem.
Pulchrior Sponsus nitet inter atros
Sanguinis rivos, saniemque fœdam:
Inter et vepres rigidos refulget
Pulchrior Agnus.

Cordibus vivant patientis almi
Numinis vultus: seraphimque sedes
Inter eternas, radiante pascunt
Luce redemptos.

Christe, qui damno proprii decoris
Quæris infirmum reparare mundum,
Mentibus fœdis placeat nitentem
Reddere formam.

XLII.

IN DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Verbum Patris, quod prodiit factum caro,
Agnus Dei peccata mundi auferens,
Ad te venimus cernui, ut inclytum
Bibamus almæ Passionis Sanguinem.

Ostende vulnerum sacrorum stigmata:
Exsurgat insignis Crucis fortissimum
Signum, quod in vigore perpetim manens,
Salvationem conferat credentibus.

Arundo, clavi, sputa, potus myrrheus,
Corona spinarum, flagella, lancea,
Impressa sunt damnationis verbera:
Jam nostra pro his cuncta dele crimina.

Fons vulneris sacri riget præcordia,
Lavet cruor malitiæ contagia;
Sic vita præsens absque omni crimine,
Futura detur in beato munere.

Ut cum resurgendi dies effulserit,
Orbique Regni claritas illuxerit,
Viam sequamur ætheris, quæ nos trahat,
In se receptos jam perennes incolas.

Honor sit Eterno Deo; sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio
Cum Spiritu: quæ Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæcula.

XLIII.

IN SABBATO HEBDOMADÆ QUINTÆ IN QUADRAGESIMA.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Vocaris ad vitam, sacrum Dei genus:
Creator asciscens amat quæ condidit:
Redemptor attrahit benigno Spiritu:
Venite, dicit: vester unus sum Deus.

Damnationis vos jugum pressit grave:
Collum dedistis ponderi nequitiæ:
Os tranquillavit guttur et pernicies:
Substate, quod jam affluit, totum ruit.

Prorsus relicto claritatis lumine
Ingens chaos vos pessime concluserat:
Locus Beatitudinis jam non erat,
Cruenta terram quia mors intraverat.

En! mitis adveni creans, recreans, Deus!
Potens, infirmitatis particeps vestræ
Valenter vos feram: mihi concurrite:
Ut jam receptet vos ovile gaudii.

Signo Crucis frons prænotetur inclyto,
Aures et os perfusa signet unctio:
Præbete dictis cordis aurem: vividum
Confessionis personate canticum.

Omnes novo estote læti nomine:
Omnes novæ sortis fovet hæreditas:
Nullus manebit servus hosti subditus:
Eritis unius Dei regnum manens.

Honor sit Eterno Deo; sit gloria
Uni Patri, ejusque soli Filio
Cum Spiritu: quæ Trinitas perenniter
Vivit potens in sæculorum sæcula.

HYMNI IN TEMPORE PASSIONIS.

XLIV.

DE SANCTA CRUCE.

CRUX benedicta nitet, Dominus quâ carne pependit:
Atque cruore suo vulnera nostra lavit.

Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi quâ sacer Agnus oves.

Transfixis palmis ubi mundum a clade redemit,
Atque suo clausit funere mortis iter.

Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Fertilitate potens, o dulce et nobile lignum,
Quando tuis ramis tam nova poma geris!

Cujus odore novo defuncta cadavera surgunt:
Et redeunt vitæ qui caruere die.

Æstus nullum urit sub frondibus arboris hujus:
Luna nec in nocte, sol neque meridie.

Tu plantata micas secus est ubi cursus aquarum,
Spargis et ornatas flore recente comas.

Appensa est vitis inter tua brachia, de quâ
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

XLV.

DE PASSIONE DOMINI.

Ecquis binas columbinas
Alas dabit animæ,
Ut in almam Crucis palmam
Evolet citissime ?
In qua Jesus totus læsus,
Orbis desiderium,
Et immensus est suspensus,
Factus improperium.

O cor scande ! Jesu pande
Charitatis viscera :
Et profunde me reconde
Intra sacra vulnera :
In supernâ me cavernâ
Colloca maceriæ :
Hic viventi, quiescenti,
Finis est miseriæ.

O mi Deus, amor meus,
Tune pro me pateris ?
Proque indigno Crucis ligno
Jesu mi suffigeris ?
Pro latrone, Jesu bone,
Tu in Crucem tolleris :
Pro peccatis meis gratis
Vita mea moreris.

Non sum tanti, Jesu, quanti
  Amor tuus æstimat:
Heu cur ego vitam dego
  Cor si te non redamat?
Benedictus sit invictus
  Amor vincens omnia:
Amor fortis, tela mortis
  Reputans ut somnia.

Iste fecit et refecit
  Amor, Jesu, perditum:
O insignis, Amor, ignis
  Cor accende frigidum!
O fac vere cor ardere,
  Fac me te diligere:
Da conjungi, da defungi
  Tecum, Jesu, et vivere.

XLVI.

DE PASSIONE DOMINI.

Jesu, meæ deliciæ,
Et fide custos animæ!
Te crucis fixum arbore
Mens ardet omni tempore.

Compatior medullitus,
Cum nudum cerno penitus :
Qui mihi est præ omnibus
Thesaurus præstantissimus.

O Jesu ! tuæ lachrymæ,
Angores et tristitiæ,
Meam solentur animam,
Jugemque dent lætitiam.

Clavi tui sunt spicula,
Casti amoris jacula :
His dulciter me vulnera,
Et cor potenter penetra.

De tuo, Jesu, corpore
Da cordi meo vivere :
In cordis tui vulnere
Dignare me abscondere.

Et mortis in angustiâ,
Per tua precor vulnera
O Jesu, tanta passio
Culparum sit remissio.

XLVII.

DE PASSIONE DOMINI.

Attolle paulum lumina,
Peccator, atque disce
Quantum malum sint crimina,
Et tandem resipisce:
Crucifixum aspice;
Leges in hoc codice
Quod proderit scivisse.

Caput tristes aculei
Spinarum pupugerunt:
Manus pedesque ferrei
Clavi perforaverunt:
Et in membra cætera,
Fœde nimis, barbara
Flagella sævierunt.

Cum tantus dolor atterat
Hæc membra delicata,
Magis cor ejus vulnerat
Mens hominum ingrata;
O dirum supplicium,
Quo Mariæ Filium
Excruciant peccata!

Nemo dolorem pertulit
Isti parem dolori,

Quem Crucifixo intulit
Judæus Salvatori :
Per incredibilia
Voluit supplicia
Pro nobis Christus mori.

O homo nunc considera
Quæ damna sint peccati :
Pro quo curando, vulnera
Tot Christus debet pati :
Absque hoc auxilio
Igne nos perpetuo
Essemus concremati.

Si pœnis insons Filius
Punitur tam severis,
Quantis, tu servus impius,
A judice plecteris ?
Si sic lignum viride
Ardet ; rame aride,
Quâ flammâ tu ureris ?

O fuge ergo crimina ;
Peccator, fuge mortem :
Inferni fuge limina
Et damnatorum sortem :
Age Christo gratias,
Ut eternæ facias
Te vitæ sic consortem.

XLVIII.

IN CŒNA DOMINI.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Jam legis umbra clauditur
Novumque Phase prodiit:
Cum vera lux in vesperum
Mundi suborta promicat.

Hic, Christe Rex, post biduum
Cœnæ litas convivium:
Quo Pascha pridem mysticum
In Pascha nostrum vertitur.

Audi fidelium preces,
Qui traditorem passus es:
Hâc nocte nos illumina,
Mentem lava, cor præpara.

Ardor tuæ dulcedinis
Interna nostra concremet;
Fides paratos innovet,
Opusque ad regium vocet.

Ut suavitate gratiæ
Hinc advocati, in crastinum
Inebriemur poculis
Tui sacrati Sanguinis.

XLIX.

IN FERIIS HEBDOMADÆ PASSIONIS.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Crucis tremens sub pondere,
Gressus labantes vix trahit :
Quem stipat aula cœlitum,
Datur comes latonibus.

Clavis manus, clavis pedes
Confossi adhærent stipite :
Sed quam sui tenacius
Amoris hæret vinculis !

Qui rupe fontes elicit
Ardens siti consumitur :
Sed major urebat sitis,
Erat sitis mundo salus.

Sed hæc dolorum pars levis :
Acerbiora pertulit,
Dum mente præsagâ videt
Inane mortis præmium.

Fac, Christe, ne sint irrita
Tormenta quæ perpessus es :
Ne, morte contemptâ Dei,
Te sentiamus vindicem.

Qui nos creavit, laus Patri,
Qui nos redemit, Filio:
Fovens redemptos gratiâ
Par sit tibi laus, Spiritus.

L.

DE PASSIONE DOMINI.

SEQUENTIA E MISSALI SARISBURIENSI.

Cœnam cum discipulis,
Christe, celebrasti:
Et mortem Apostolis
Palam nunciasti:
Et auctorem sceleris
Judam demonstrasti:
Et egressus protinus
Hortulum intrasti.

Tunc procedens Dominus
Se humi prostravit:
Et transferri calicem
A se postulavit:
Sed Patris arbitrio
Istud commendavit:
Et ecce mox sanguinis
Sudor emanavit.

Judas post hoc osculum
  Ori dedit Christi :
Ut quid, inquit Dominus,
  Amice, venisti ?
Numquid tradis osculo
  Quem jam vendidisti ?
Assistentes protinus
  Irruunt ministri.

Nox insomnis itaque
  Tota ducebatur :
Nulla prorsus requies
  Jesu præstabatur :
Magistrorum impia
  Plebs injuriatur :
Alapis et colaphis
  Innocens mactatur.

Dum Jesum eripere
  Pilatus conatur,
Judæorum furia
  Magis inflammatur :
Et tumultus populi
  Ingens excitatur :
Et plebis vox intonat
  Ut crucifigatur.

Traditur militibus,
   Vinculis arctatur:
Undique verberibus
   Corpus cruentatur;
Caput Regis gloriæ
   Spinis coronatur:
Postquam flexis genibus
   Quisque irritatur.

Ecce caro tenera
   Pii Salvatoris
Ad columnam nequiter
   Coarctatur loris:
Sic flagellis cæditur
   Impii tortoris,
Quod emanent rivuli
   Undique cruoris.

Post per urbis medium
   Jesus procedebat,
Et Crucis patibulum
   Humeris ferebat;
Ad fores, ad ostia
   Populus fluebat,
Ejusque confusio
   Omnibus patebat.

Ad pudoris cumulum,
Jesu, denudaris:
Et ventis ac frigori
Nudus spoliaris:
Innocens cum impiis
In cruce damnaris:
Et quasi dux sceleris
Medio locaris.

Tensis ligno brachiis
Manus conclavantur:
Christi membra singula
Clavis perforantur:
Nervi venæ simili
Modo laniantur:
Pedum plantæ etiam
Ferro vulneratur.

Fundunt rivos sanguinis
Fontes Salvatoris:
Properet huc anima
Tristis peccatoris:
Ut hauriat quippiam
Sacrati liquoris,
Qui frequenter liniat
Vulnera doloris.

Loquens Jesus postea,
"Sitio,"—dicebat:
Fel, acetum, protinus
Judæus miscebat;
Ac infusam spongiam
Ori porrigebat:
Quod degustans paullulum
Sumere nodebat.

O Jesu mirifice,
Quid est quod agebas?
Tu de siti conquerens
De Cruce silebas:
Non quod hoc doloribus
Magis sentiebas:
Sed salutem potius
Nostram sitiebas.

Vocem promens ultimam
Patrem invocasti,
Spiritumque manibus
Ejus commendasti:
Cum clamore valido
Tandem expirasti;
Sic salutis hominum
Opus consummasti.

Quo ego superbio,
  Tu humiliaris :
Ego culpas perpetro,
  Tu pœnâ gravaris :
Ego pomum mordeo,
  Tu felle potaris :
Mollia desidero,
  Tu dire tractaris.

Demum cujus valeat
  Mens vel lingua fari,
Quantum Virgo creditur
  Intus cruciari,
Dum cernit jam mortuum
  Latus vulnerari,
Atque nati viscera
  Lanceâ rimari.

Corpus cujus mortuum
  Jam nil sentiebat :
Sed militis lancea
  Matrem conscindebat :
Quam fixam in Filii
  Latere videbat,
Unde aqua sanguine
  Mista affluebat.

Ad hos ergo propera
  Fontes Redemptoris,
Ut fluentis quippiam
  Haurias dulcoris:
Atque vitæ lavacrum,
  Pretium cruoris;
Quo tui curatio
  Profluat languoris.

LI.

DE EADEM.

SALVE mundi salutare,
Salve, salve, Jesu care;
Cruci tuæ me aptari,
Vellem tibi me æquari;
  Da mihi tui copiam.

Salve Jesu Rex Sanctorum,
Spes votiva peccatorum,
Crucis ligno tanquam reus
Pendens homo, verus Deus;
  Caducis nutans genibus.

Quid sum tibi responsurus,
Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori
Qui elegit pro me mori
  Ne duplâ morte morerer?

Salve Jesu pastor bone,
Fatigatus in agone;
Qui per lignum es distractus,
Et ad lignum es compactus,
    Expansis sanctis manibus.

Salve caput cruentatum,
Totum spinis coronatum,
Conquassatum, vulneratum,
Arundine verberatum,
    Facie sputis illitâ.

Salve latus Salvatoris,
In quo latet mel dulcoris;
In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris
    Qui corda lavat sordida.

Clavos pedum, plagas duras,
Et tam graves impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pavens in aspectu
    Tuorum memor vulnerum.

Dulcis Jesu, pie Deus,
Ad te clamo licet reus:
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum
    De tuis sanctis pedibus.

Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse;
In tremendâ mortis horâ
Veni Jesu absque morâ,
Tuere me et libera.

Cum me jubes emigrare,
Jesu care tunc appare;
O amator amplectende
Temet ipsum tunc ostende,
In cruce salutiferâ!

LII.

DE EADEM.

Huc ad jugum Calvariæ
Jesum sequamur ducem:
Nostræ trophæum gloriæ
Deosculemur crucem:
Qui generosus miles est
Sibi ducat honori,
Cum duce Jesu millies
In crucis campo mori!

Quis colla miles excutit?
Hâc est eundum viâ:
Quo dux vexillum prætulit
Sequamur turma pia:

Est summa pati gloria :
Nec est tam salsus potus,
Qui non crucis memoriâ
Exhauriatur totus.

Morosus es et tetricus
Morborum cinctus choro ?
Ægrotat tecum Medicus
Decumbens crucis thoro :
Non est a Christi vertice
Ad plantam pedis vena
Pro te quam non, o perdite,
Major affligit pœna.

Divitiis exutus es,
Mendicitatis hæres ?
In cruce Jesus nudus est ;
Nunc minus ægre feres.
Et vulpes diverticulum,
Et nidum noscit passer :
Eheu, Christi cubiculum
Est dura crucis asser !

Maledicis sermonibus
Si fama laceratur :
En Jesus cum latronibus
Iniquis deputatur !

Cum hinc clavorum spicula
Corpus perpenetrarunt,
Inde linguarum jacula
Mentem transverberarunt.

Fatale times jaculum
Te quando mors invadet?
O nobile spectaculum!
Miles cum duce cadet:
Christus acerbi funeris
Prior excepit ictum:
Hinc tu lethalem vulneris
Vix senties inflictum.

Tandem si conscientiæ
Te lancinant puncturæ,
Per fructus pœnitentiæ
Hac sopiuntur curæ:
Subinclinato capite
Qui spiritum emisit,
Jesus favorem gratiæ
Et veniam promisit.

LIII.

DE EADEM.

O POPULE mi, quid merui?
In quo te contristavi?
Nonne quibus debui
Bonis te ornavi?

Dic quâ in re offendi te ?
Quo modo vis, abunde:
Emendabo quod in me
Displicet: responde.

Cur odio tam impio
Ut hostem me invadis ?
Crucis cur supplicio
Me necandum tradis ?

Te condidi et nihili
Te ex abysso duxi :
Vitam tibi contuli,
Mente te instruxi.

Tu impio judicio
Me morti condemnasti :
Hoste tu cum stygio
In me conspirasti.

Tot sidera hâc dexterâ
In tuas usus feci,
Plantas tot et pecora
Hâc tibi subjeci.

En liberum te dominum
Cunctorum procreavi,
Mundum in palatium
Tibi fabricavi.

Tu pauculis argenteis
Me hosti vendidisti ;
Et ut scurram, Ætheris
Regem prodidisti.

Tu fustibus et ensibus
Armatus ad me venis ;
Et ceu furem funibus
Ligas et catenis.

Ut unicum te filium
In meo sinu fovi ;
Semper tuum commodum
Sedulo promovi.

Tu scommatis et colaphis
Hanc curam rependisti :
Probris tu me pluribus
Captum affecisti.

Te variis scientiis
Præ brutis exornavi :
Te et ipsis angelis
Prope exæquavi.

Ut stolido et fatuo
Tu mihi illusisti
Tu latroni impio
Me posthabuisti.

O populo mi, num merui
Horrende sic tractari?
Et tam miserabili
Modo trucidari?

Ah propere convertere,
Peccata detestare:
Quare te vis perdere
Cum queas salvare?

LIV.

DE SPINEA CORONA.

(Cujus festum d. 4. vel 5. Maii in Hispaniâ celebrabatur.)

E BREVIARIO HISPALENSI.

AD VESPERAS.

Lauda fidelis Concio
Spinæ trophæum inclytum:
Per quam perit perditio
Vitæque datur meritum.

Nos a puncturis liberat
Eterni Patris Filius,
Dum spinis pungi tolerat
Spinarum culpæ nescius.

Cum spinarum aculeum
Christus pro nobis pertulit,
Per diadema spineum
Vitæ coronam contulit.

Plaudat turba Fidelium
Quod per spinæ ludibrium
Purgat Creator omnium
Spineti nostri vitium.

LV.

AD LAUDES.

Eternæ Christe gloriæ,
Devota tandem cantica
Fideles solvunt hodie
Pro Coronâ Dominicâ.

Coronat Regem gloriæ
Corona contumeliæ,
Cujus nobis opprobrium
Coronam confert gloriæ.

De spinarum aculeis
Christo corona plectitur,
Qua ministris Tartareis
Mundi potestas tollitur.

Corona Christi capitis,
Sacro perfusa sanguine
Pœnis solutis debitis
Purget reos a crimine.

LVI.

IN SUSCEPTIONE SANCTÆ CORONÆ DOMINI.

(Dominica I. Mens. August.)

E BREVIARIO VETERI ECCLESIÆ PARISIENSIS.

AD VESPERAS. ANTIPHONÆ.

Adest nova solemnitas:
Det Deo laudes debitas
    Fidelium devotio:
Ut qui choro psallentium
Dat pro coronâ gaudium
    Coronam det pro gaudio.

Christe caput Ecclesiæ
Qui transfers ad nos hodie
    Tui Coronam Capitis:
Sic exaudi nos, Domine,
Ut in arcto discrimine
    Coronemur pro meritis.

Judæi, viri sanguinum,
Spinis coronant Dominum,
Eterni Regis æmuli.
Pro nobis Dei Filius
Fit hircus emissarius,
Ferens peccata populi.

Gestat Coronam spineam,
Vestem habens purpuream
Rex in derisum traditur:
Veneremus opprobrium,
Per quod salus est gentium,
Per quod cœlorum aditus.

Signum præfert victoriæ
Corona triumphalis:
Simul et excellentiæ
Dignitatis regalis.
Sub umbrâ legis veteris
Præsignata per cidaris
Typum sacerdotalis.
Ista corona fidei
Christi decet militem:
Hæc fidelis arca Dei
Mentem facit divitem
Divinitus
Auro Sancti Spiritus.
Sit cor tuum arca Dei
Ut thesaurum tantæ rei
Thesaurizet cœlitus.

LVII.

AD VESPERAS.

Eterne Rex altissime,
Reddens coronas perditas,
Da Coronæ sanctissimæ
Laudes proferre debitas.

Corona Christi Capitis
Membra coronat hodie,
Honoribus exhibitis
Concordet vox lætitiæ.

Sertum signat victoriam
Quâ Christus mortem expulit:
Spinæ nostram miseriam
Quam Caput noster sustulit.

Vitæ coronam reperit
Corona mortis anxiæ:
Quo mors soluta deperit
Datur triumphus gratiæ.

Tu fructus trium seminum,
Jesu, corona Virginum,
Corona continentium,
Conjugatorum præmium.

LVIII.

AD MATUTINUM.

SACRÆ Christi celebremus
Coronæ solemnia:
Et ipsius revocemus
Ad mentem præconia:
Ut impleta comprobemus
Legis vaticinia.

Inter vepres demonstratur
Vervex hærens cornibus:
In quo Christus figuratur
Coronandus sentibus:
Deus vivit: immolatur
Homo pro hominibus.

Sina rubus inflammatur,
Nec tamen comburitur:
Ignis spinis coronatur
Qui culpâ consumitur:
Nec læditur, sed sacratur
Spina dum sic tangitur.

Arcam, mensam, et altare
Sertum ambit aureum:
Et sculptura cingit mare
Sacerdotum æneum:
Quæ nunc Christi signant dare
Diadema spineum.

Sponsum serto decoratum
Esaïas meminit:
Ad videndum coronatum
Invitans Rex cecinit:
Hoc Sibylla revelatum
Sibi prosâ concinit.

Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo:
Una Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito;
Cui laus est, et potestas
Per eterna sæcula.

LIX.

DE EADEM.

E BREVIARIO VENETO.

[HABETUR ET PARTIM IN QUIBUSDAM GALLIÆ BREVIARIIS.]

Exite, filiæ Sion,
Regis pudicæ Virgines,
Christi Coronam cernite
Quam Mater ipsa texuit.

Horret, revulsis crinibus,
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam prospicit.

Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit ?
Quæ sæva messuit manus ?

Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis :
Palmamque vincens fructibus
Spina est triumphis aptior.

Culpis satæ mortalium
Te, Christe, spinæ vulnerant :
Evelle nostras, cordibus
Tuasque nostris insere.

Legis figuris pingitur
Christi corona nobilis,
Implexa spinis victima,
Ardensque testatur rubris.

Arcam corona cinxerat
Mensæque sacrum circulum,
Aramque thure fumidam
Corona nectit ambiens.

Christi dolorum conscia
Salve, Corona gloriæ,
Gemmis et auro pulchrior,
Vincens coronas siderum.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui passus est,
Sancto simul Paraclito
In sæculorum sæcula.

LX.

DE PASSIONE DOMINI, IN HORAS CANONICAS DISTRIBUTA.

E BREVIARIO MAGDEBURGENSI.

PATRIS Sapientia, Veritas divina,
Deus Homo captus est horâ MATUTINÂ:
A suis discipulis cito derelictus
Judæis est traditus, venditus, afflictus.

Horâ PRIMÂ ductus est Jesus ad Pilatum:
Falsis testimoniis multum accusatum,
In collum percutiunt, manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.

"Crucifige!"—clamitant horâ TERTIARUM:
Illusus induitur veste purpurarum:
Caput ejus pungitur coronâ spinarum:
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Horâ Sextâ Jesus est cruci conclavatus,
Et est cum latronibus pendens deputatus;
Præ tormentis sitiens,—felle saturatus;
Agnus crimen diluit sic ludificatus.

Horâ Nonâ Dominus Jesus exspiravit:
'Heli' clamans animam Patri commendavit:
Latus ejus lanceâ miles perforavit:
Terra tunc contremuit et sol obscuravit.

De Cruce deponitur horâ Vespertinâ:
Fortitudo latuit in mente divinâ;
Talem mortem subiit vitæ medicina;
Heu corona gloriæ jacuit supina!

Horâ Completorii datur sepulturæ
Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ;
Conditur aromate: complentur Scripturæ:
Jugis sic memoria mors est mihi curæ.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo piâ ratione:
Ut sicut tu passus es pœnas in agone
Consors, tecum condolens, sim tuæ Coronæ!

LXI.

IN TEMPORE PASSIONIS AD COMPLETORIUM.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Qui noctis in silentio
Te, Christe, morti devoves,
Et immolandus traderis,
Noctis quietem consecra.

Dum sub tenebris circuit
Quærens leo quem devoret,
Quos in dolore parturis
Nunquam relinque filios.

Hostis quibus repellitur
Armis crucis nos indue:
Et ne labet victoria
Adesto dux in prælio.

Tormenta sonti debita
Dum sustines vir innocens,
Pœnæ juvat sim particeps,
Qui noxius sum criminis.

Suis amor fac nexibus
Tuo meum cor vinciat:
Ut tot gemam suspiriis,
Quot vulneraris ictibus.

Cum vivus et post funera
Tuo tuus sim sanguine:
In mortis horâ suscipe
Meum benignus spiritum.

Noctis per umbras gloria
Jugis tibi sit, Trinitas:
Quem placat orbis victima
Fuso Cruore, Filius.

LXII.

IN TEMPORE PASCHALI.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Nunc novis Christus celebretur hymnis:
Victor insignes agitat triumphos,
Qui suo mortem jaculumque mortis
Funere frangit.
Vincit obstantem lapidem sepulchri:
Vincit armatas vigilum cohortes:
Vincla perrumpit, quibus obligatus
Ingemit orbis.
Quem timor clausum latebris coercet
Se gregi rursus facilem videri
Præbet: et certum sua fert amoris
Vulnera pignus.

De Dei Regno documenta pandit,
Hujus et Regni stat imago viva,
Quâ mori mundo docet, et supernas
Quærere sedes.

Ergo jam nunquam moriture vivis
Christe ; quos fuso redimis cruore
Fac in eternum tua vita nobis
Vivere præstet.

Summa laus Patri, Genitoque summa,
Morte qui victâ sibi dat renasci;
Quem Patri consors Amor et perennis
Gloria jungit.

LXIII.

AD LAUDES.

Cœli choris perennibus
Se grex fidelis inserat :
Christus triumphans, ferreæ
Necis resolvit vincula.

A carne dum mens exulat
Utrique Verbum nectitur :
Partes et inter dissitas
Vitæ resarcit fœdera.

De Virginis puerperæ
Qui natus illæso sinu,
Saxi sigillis integris
Mortis sinu renascitur.

Te, Christe, dum purissimæ
Fis charitatis hostia,
Patri, cruento funere,
Amor Sacerdos immolat.

Qui suscitans te, Numini
Uni doces nos vivere,
Fac, servitute liberos
Tibi litet nos charitas.

Jugis tibi laus, Trinitas,
In cujus almo nomine
Sibi, suisque redditus
Christus jubet nos ablui.

LXIV.

AD VESPERAS.

Te quanta, victor funeris,
Victor subacti Tartari,
Cruci tuæ superstitem
Ornat triumphi gloria!

Plagis cruentis saucius
Fulgore vincis sidera:
Potu ciboque pasceris
Famis sitisque nescius.

Etsi tacentem, subdita
Æther et aquor audiunt:
Et perviam se gressibus
Sternunt euntis semitam.

Jam corporis fis immemor,
Ærata claustra permeans:
Dispar et idem, liberis
Adesque abesque motibus.

Tot dotibus spem suscitas
Vitæ novæ, quâ cœlites
Facti, novis in artubus
Tuâ fruemur gloriâ.

Jugis tibi laus, Trinitas,
In cujus almo nomine
Sibi, suisque redditus
Christus jubet nos ablui.

LXV.

AD COMPLETORIUM.

A MORTE qui te suscitans
Nová micas victoriâ,
In nocte nos illumina,
Tuisque donis protege.

Fac dum jacebunt debito
Artus sopore desides,
Sursum volatu libero
Ad te ferantur pectora.

Ne dormientes ignea
Nos tela rursus vulnerent:
Victrice tu nos pervigil,
Defende, custos, dextera.

Præsta, solutis nexibus
Quibus rei constringimur
Diro perennis funeris
Nunquam premamur pondere.

Quem suscitatum credimus
Jesu, tibi sit gloria:
Summo Patri laus maxima,
Et par tibi laus, Spiritus!

LXVI.

IN LÆTATIONE DIEI PASCHÆ.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Hic est dies verus Dei
Sancto serenus lumine,
Quo diluit sanguis sacer
Probrosa mundi crimina.

Fidem refundens perditis,
Cæcosque visu illuminans,
Quo nos gravi solvit metu
Latronis absolutio.

Quo, præmio mutans crucem,
Jesu brevi adquirit fidem:
Justoque brevior gradu
Pervenit in Regnum Dei.

Hoc opus stupent Angeli,
Pœnam videntes corporis:
Christoque adhærentem reum
Vitam beatam capere.

Mysterium mirabile!
Ut abluat mundi luem,
Peccata tollat omnium,
Carnis vitia mundans caro.

Quid hoc potest sublimius
Ut culpam quærat gratiâ?
Metumque solvat charitas,
Reddatque mors vitam novam?

Hamum sibi Mors devoret,
Suisque se nodis liget?
Moriatur Vita hominum?
Resurgat Vita omnium?

Dum Mors per omnes transeat,
Omnes resurgant mortui?
Consumpta mors ictu suo,
Perisse se solum gemat?

Quæsumus, Auctor omnium,
In hac Paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sæculorum sæcula. Amen.

LXVII.

IN OCTAVA PASCHÆ.

AD TERTIAM.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Jesu, Redemptor omnium,
Qui morte mortem conterens
Ab inferorum abdito
Die resurgis tertio:

Tu nos misellos, quæsumus,
Pro queîs fudisti sanguinem,
Ceno piatos criminum,
Reduc polorum sedibus.

Quo hi novum qui canticum
Tibi ovantes præcinunt,
Adjuncti in cœlestibus
Te perfruamur largius.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.

LXVIII.

IN TEMPORE PASCHALI.

Alleluia ! Alleluia !
Finita jam sunt prælia ;
Est parta jam victoria ;
Gaudeamus et canamus : Alleluia !

Alleluia ! Alleluia !
Post fata mortis barbara,
Devicit Jesus tartara :
Applaudamus et psallamus : Alleluia !

Alleluia ! Alleluia !
Surrexit die tertiâ,
Cœlesti clarus gratiâ :
Insonemus et cantemus : Alleluia !

Alleluia ! Alleluia !
Sunt clausa stygis ostia,
Et cœli patent atria :
Gaudeamus et canamus : Alleluia !

Alleluia ! Alleluia !
Per tua, Jesu, vulnera,
Nos malâ morte libera,
Ut vivamus et canamus : Alleluia !

LXIX.

DE EODEM FESTO.

CEDANT justi signa luctus;
Cesset metus, cedant fluctus;
Moses mare superat,
Israëlem liberat.
Vita mortem morte stravit,
Agnus sanguine nos lavit,
Induens nos gloria. Alleluia.

En abyssi claustra tonant,
Et catenæ tractæ sonant;
Turba Patrum cœlica
Evolat ad gaudia.
Lytrum Deus-Homo pendit;
Dumque cœlum nunc ascendit
Ejus est victoria. Alleluia.

Surgit Christus e sepulcro,
Solo Deitatis fulcro
Nixus, dum humanitas
Superat miserias,
Ut nos surgeremus rei
In humilitate Dei;
Nobis est victoria. Alleluia.

Docet ita nos Salvator
Uti debeat peccator
E sepulcro criminum
Evolare in gaudium.

Quod a nobis actum fuit
Insons Christus morte luit:
Canite: victoria. Alleluia.

Frustra victus orcus frendet;
Sol salutis nobis splendet
Liberi sunt liberi;
Servitus Diaboli,
Laqueus nunc est confractus:
Jam triumphus est peractus;
Surgite ad præmia. Alleluia.

Ergo salvæ turba gentis,
Nunc excusso somno mentis,
Tandem expergiscite;
Salvatorem sequere:
Salvatoris semper præsto
Nobis adjumentum esto:
Nostra sit victoria. Alleluia.

LXX.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Mens Deo laudes cane: redde lætas
Mens Deo grates: tibi non in ævum
Sævit offensæ memor, et perennes
Ardet in iras.

Ocior venti celerante pennâ
En suos Christus jaculatur ignes,
Mœnibus ruptis subit, et supernas
Transvolat arces.

Certa spes mundo redeat jacenti:
Clausa tot sæclis redit aula cœli:
Vera per fusum Mediator intrat
Sancta cruorem.

Se Deo sistit: Pater, ecce Natus
In tuo victor gremio reponit
Plurimo partas, et adhuc madentes
Sanguine lauros.

Ergo, quo nostrum Caput anteivit,
Crede, nos ipsâ dabitur manere
Sede, mens sacro modo jungat una
Fœdere membra.

Cum domos scandis patrias parare,
Quæ mihi vano sapiunt in orbe?
Christe, tu totos abiens tulisti
Cordis amores.

Summa laus Patri, Genitoque summa
Qui super cœli radiantis orbes
Victor ascendit: tibi par in ævum
Gloria, Flamen.

LXXI.

IN DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

E BREVIARIO MOZARABICO.

SACRATA Christi tempora
Propheticis oraculis,
Virtute firmans pectora
Fidei explevit veritas:

Venisse mundi Dominum
In Templo sancti Corporis,
Ut hominem, quem fecerat,
Salvaret ipse perditum.

Dum patitur passibilis,
Assumptus homo moritur:
Resurgit impassibilis
Deus Creator omnium.

Qui suscitatus corpore,
Diebus dudum prædictis,
Quater denario numero
Opus salutis edidit:

Quibus quadratis omnibus,
Ascendens in altum duxit
Captivitatem captivam:
Dona dedit hominibus.

Sistere tamen soliti
Jubentur summi nuntii,
Donec virtutem Spiritus
Ex alto missam caperent.

Quam nos ovantes gloriâ
Salutis nostræ præstitam
Sanctorum consors laudibus
Hymnus resultat omnibus.

Da nobis illic sedulâ
Devotione tendere,
Quo te sedere cum Patre
In arce cœli credimus.

Gloria tibi Domine
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sæculorum sæcula.

LXXII.

IN EADEM DOMINICA.

E BREVIARIO CADURCENSI.

Mundo novum jus dicere
Qui, Christi, mittis nuncios,
Clausos sacris in ædibus
Sancti foves spe Flaminis.

Fac nos tibi gens debita
Puris piemur ignibus,
Tuamque, pleni numine,
Testemur orbi gloriam.

Almum tui vi funeris
Terris daturus Spiritum,
Da perfruamur intimâ
Virtute fusi sanguinis.

Regni Paterni particeps
Thronoque Patris assidens,
In nos ama jam prodigus
Promissa dona fundere.

Umbris remotis longius,
Fac nostra lex sit charitas:
Et efficaci dexterâ
Scribatur hæc lex cordibus.

Sit laus Patri; laus Filio
Patris sedenti dexterâ:
Qui nos fovebis flamine
Sit par tibi laus, Spiritus.

LXXIII.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

O Christe, qui noster poli
Præcursor intras regiam,
Quos hic jacentes respicis
Sursum voca, sursum trahe.

Ad illa fac nos currere
Amore casto gaudia,
Terrena quæ mens non capit,
Quæ sola perspicit fides.

Illic laborum præmium
Das ipse te tuis, Deus :
Et, ut beatos expleas,
In omnibus fis omnia.

Illic beatos incolas
Curis solutos et metu
Puri profusa nectaris
Inebriabunt flumina.

Qui Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
In sæculorum sæcula.

LXXIV.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

AD SECUNDAS VESPERAS.

E BREVIARIO CADURCENSI.

VENI, superne Spiritus,
Pater benigne pauperum;
Munus datorque munerum
Sis cordis hospes intimus.

Tu Veritas illabere
Sub nocte mersis mentibus;
Quas vera lux illumines,
Verumque robur protegas.

Mundi dolosi destrue
Imagines adulteras:
Ne nos suis coloribus
Deludat a te devios.

Te cordibus sic detege
Nobis ut unus fulgeas:
Et vanitatis nescii
Optemus ad te surgere.

Amor sacer nos innova
Cœlestis igne flammis:
Qui victimam nos immolet
Tuo placentem numini.

A te remoti viximus,
Ad te reduc nos exules:
Quâ dirigamur, sis via,
Viæque nostræ terminus.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par tibi laus, Spiritus;
Quo flante, puris pectora
Lucent et ardent ignibus.

LXXV.

AD COMPLETORIUM.

Adsis, superne Spiritus:
In nocte sis lux mentium:
Fons veritatis, cordium
Optata sis pax et quies.

Da per quietem noxias
Mens vincat umbras criminis:
Tuoque plenum Numine
Cor charitate ferveat.

Sit charitas, quam parturis,
Lorica, quæ nos protegat:
Ne nos cruentis perferat
Nocturnus hostis ictibus.

Qui fletibus quos elicis,
Divina misces gaudia,
Jam sis origo fletuum,
Ut sis perennis gaudii.

Sit laus Patri, laus Filio:
Sit par tibi laus, Spiritus;
Quo flante, puris pectora
Lucent et ardent ignibus.

LXXVI.

IN FESTO SANCTÆ TRINITATIS.

E BREVIARIO FRATRUM HUMILIATORUM.

Adesto, Sancta Trinitas,
Par splendor, una Deitas,
Quæ rerum extas omnium
Sine fine principium.

Te cœlorum militia
Laudat, adorat, prædicat:
Triplexque mundi machina
Benedicat per sæcula.

Adsumus et nos cernui
Te adorantes famuli;
Vota precesque supplicum
Hymnis junge cœlestium.

Unum te lumen credimus,
Quod et ter idem colimus,
Alpha et Ω quem dicimus,
Te laudat omnis spiritus.

Laus Patri sit ingenito,
Laus ejus Unigenito,
Laus sit Sancto Spiritui,
Trino Deo, et simplici.

PROPRIUM SANCTORUM.

I.

IN FESTO S. SATURNINI, EPISCOPI TOLOSANI.

D. XXIX. NOVEMBRIS.

E BREVIARIO MIRAPISCENSI.

Cœlo triumpha debitus
Invicte Martyr, jam tuo
Rorata tellus sanguine
Fundit salutis germina.

Sic Martyrem decet mori
Fructus daturum divites,
Ut tritici granum sinu
Telluris almæ conditum.

Vivum manens et integrum
Se prole nullâ recreat :
At mortuum se multiplex
In mille culmos explicat.

Tuo superstes funeri
Sic falsa pellis numina,
Deoque victor unico
Christo Tolosam subjicis.

Spurcæ procul sunt hostiæ,
Aris litatur sanctius,
Solus sacerdos fit Deus,
Solus Deus fit victima.

Destructor aræ numinum
Aras super eveheris
Corpusque tritum per vias
Fulget piis honoribus.

Sit laus Patri, laus Filio :
Par sit tibi laus, Spiritus :
Uni Deo, trino simul,
Par sit decus in secula.

II.

IN FESTO S. CORENTINI EPISCOPI ET M.

D. XII. DECEMB.

E BREVIARIO CORISOPITENSI.

Dum plaudit aula cœlitum,
Nostrum polo dum cantibus
Patrem micantem personat,
Natis silere sit nefas.

Quem nulla labes inquinat,
Non ipse securus tamen :
Perire thesaurum pavet
Quem vase gestat fictili.

Durus sibi, jejuniis
Carnis refrenat impetus :
Sacrisque flagrans noxios
Extinguit ignes ignibus.

Æterna contemplans, Dei
Se totus abdit in sinu :
Servire nescit corpori
Mens pasta cœli lumine.

His vicit armis ; hæc erunt
Et arma nobis : si pium
Sequamur ad pugnam patrem,
Sequemur ad victoriam.

Sit laus Patri, laus Filio ;
Par sit tibi laus, Spiritus ;
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ignibus.

III.

PRO FINE ANNI.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS AD OFFICIUM NOCTURNUM.

E BREVIARIO MELDENSI.

Lapsus est annus: redit annus alter:
Vita sic mutis fugit acta pennis:
Tu, Deus, cursum moderaris, unus
Arbiter, ævi.
Gens tuis plaudit cumulata donis:
Te simul votis Dominum precatur
Servet intactum fidei verendæ
Patria munus.
Supplices poscunt alimenta cives:
Finibus morbos patriis repellas:
Larga securæ referas benignus
Commoda pacis.
Postulant culpas veniâ relaxes:
Limites arctos vitiis reponas:
Post graves pugnas, tua dat salubrem
Dextera palmam.

Noxiæ vitæ maculas perosi,
Cor, Deus, nostrum tibi devovemus :
Da bonos annos : facilemque Patris
Indue vultum.
Dum dies currunt, redeunt et anni,
Et gradu certo sibi sæcla cedunt,
Debitas laudes Triadi Supremæ
Concinat orbis.

IV.

IN FESTO SS. NOMINIS JESU.

D. iii. JANUAR.

E BREVIARIO LEODIENSI.

GLORIOSI Salvatoris
Nominis præconia,
Quæ in corde Genitoris
Latent ante sæcula,
Mater, cœli plena roris,
Pandit nunc Ecclesia.

Nomen dulce, nomen gratum,
Nomen ineffabile,
Dulcis JESUS appellatum,
Nomen delectabile,
Laxat pœnas et reatum,
Nomen est amabile.

Hoc est nomen adorandum,
  Nomen summæ gloriæ:
Nomen semper meditandum
  In valle miseriæ:
Nomen digne venerandum
  Supernorum curiæ.

Nomen istud prædicatum
  Melos est auditui;
Nomen istud invocatum
  Dulce mel est gustui:
Jubilus est cogitatum
  Spiritali visui.

Hoc est nomen exaltatum
  Jure super omnia:
Nomen mire formidatum,
  Effugans dæmonia:
Ad salutem nobis datum
  Divinâ clementiâ.

Nomen ergo tam beatum
  Veneremur cernui:
Sit in corde sic formatum
  Quod non potest erui:
Ut in cœlis, Potestatum
  Copulemur cœtui.

Sit Divinæ Majestati
  Virtus et potentia :
Detur summæ Trinitati
  Honor, laus, et gloria :
Semper tamen Unitati
  Par sit reverentia.

V.

DE EODEM FESTO.

SEQUENTIA E MISSALI SARISBURIENSI.

Jesus dulcis Nazarenus,
Judæorum Rex amœnus,
    Pius, pulcher, floridus :
Pro salute suæ gentis
Subit mortem in tormentis,
    Factus pallens, lividus.

Dulce nomen et cognomen
Hoc transcendens est prænomen
    Omnibus nominibus :
Mulcit reos, sanat eos,
Fovet reos, munit eos,
    Servat ab insultibus.

Hujus regis sub vexillo
Statu degis in tranquillo:
Hostes tui fugiunt:
Nomen Jesu meditatum
Belli fugat apparatum,
Hostes victi rugiunt.

Hoc est Nomen recolendum,
Quod sic semper est tremendum
Malignis spiritibus:
Hoc est Nomen salutare
Et solamen singulare
Quod succurrit tristibus.

Hoc nos decet honorare,
Arcâ cordis inserare,
Cogitare, peramare,
Amore sed heroico:
Ignatius hoc docuit,
Hoc passus insonuit,
Cor ejus spinis patuit
Inscriptum Jesu cœlico.

Ut quid majora cupimus,
Quam quod Jesus sit intimus,
Qui est præamantissimus,
Et quærit nos amare:

Amat ferventissime,
Amat constantissime,
Amat benignissime,
    Et suos vult juvare.

Nomen suum fecit tale,
Ut sit cunctis cordiale,
Capitale, principale,
    Dilectum ex intimis :
Habent hoc naturæ jura
Ut amantem totâ curâ
Reamemus, placitura
    Præstantes ex animis.

Jesu nomen omnem tonum
Tenet, facit dulcem sonum,
Promeretur Regni thronum,
    Auditum lætificat :
In hoc lucet splendor Patris,
In hoc patet decor Matris,
In hoc fulget honor fratris :
    Hoc fratres magnificat.

Caput Jesu, cor, mens, manus,
Pes et corpus, vigor sanus :
Sanguis Christi, et humanus
    Parantur hominibus :

Hæc torquentem passa dura,
His læsura et natura
Reparantur piâ curâ
Purgatis criminibus.

Ergo si quis velit scire
Quare nomen Jesu mire
Facit bonos concupire
Sui inhærentiam :
Jesus pulcher in decore,
Summe bonus in valore,
Mitis, lenis cum dulcore :
Pronus ad clementiam.

Jesus est Rex gloriosus,
Jesus formâ speciosus,
Jesus linguâ gratiosus,
Et mirandus opere :
Jesus fortis, animosus,
Jesus pugil vigorosus,
Jesus donis copiosus,
Et gaudet tribuere.

Jesus pie viscerosus,
Jesus Doctor luminosus,
Jesus est deliciosus,
Et sapit dulcissime :

Jesus formâ gloriosus,
Jesus cunctis fructuosus,
Jesus totus virtuosus
Fovet suos optime.

Summus potens in vigore,
Summus celsus in honore,
Summus gratus in amore
Omnem laudem obtinet :
In sciendo omne sapit,
Ambiendo cuncta capit,
Diligendo corda rapit,
Et illata retinet.

Eia nobis Nomen gratum,
Dulcis Jesus appellatum,
Sic in corde sit firmatum
Ut non possit exui :
Hoc reatum peccatorum
Tollat, præstet jubilorum
Odas, sede beatorum
Donet nobis perfrui.

VI.

DE EODEM FESTO.

E BREVIARIO CORISOPITENSI.

Ad tuum Nomen, super omne Nomen,
Gaudet, O Jesu, Chorus Angelorum:
Gaudet et tellus; varioque plausu
Templa resultant.
Decidunt venti: fugiunt procellæ:
Stat minax fluctus, resilitque flamma:
Demonum cedit furor, invocato
Nomine Jesu.
O potens Nomen! recreas jacentes,
Eximis curas, ades in procellis:
Te vocant omnes, nova si qua gentes
Signa minantur.
Te nihil majus, meliusve terris:
Te nihil majus, meliusve cœlis:
Prima sit, Jesu, tua laus in ore,
Ultima claudat.
Sit decus Patri, genitoque Verbo:
Par tibi sit laus, Amor utriusque:
Et sacrum Jesu veneremur omni
Tempore Nomen.

VII.

DE EADEM FESTIVITATE.

AD COMPLETORIUM.

E BREVIARIO LEODIENSI.

AGNOSCAT omne sæculum
Nomen Jesu mellifluum:
Vino, lacteque suavius
Devotis sapit mentibus.

Isaïas hoc præcinit,
Dicens: Nascetur Filius:
Pater futuri sæculi
Vocabitur, Fortis, Deus:

Princeps pacis, consilii
Magni dicetur Angelus:
Præ cunctis admirabilis
Signis, doctrinâ, moribus.

Gloria tibi, Domine,
Qui vocaris hoc nomine,
Ut salves ad imaginem
Tuam creatum hominem.

VIII.

AD LAUDES.

O NATA lux de lumine,
Deus creator optime,
Nomen hoc, lumen cordium
Agnoscat omne sæculum.

Justum formidet Judicem,
Adoret Regem gloriæ,
Ad usque terræ limitem
A solis ortus cardine.

Sit hoc nomen sanctissimum,
Quo nihil sapit dulcius,
Nostrarum quies mentium,
Rector potens, verax Deus.

Per hoc nomen clementiæ
Cuncta remitte debita:
Da et in regno gloriæ
Beata nobis gaudia.

Plebs lætis colat mentibus
Hoc süave Christi Nomen:
Ut cantet in cœlestibus
Alleluia, dulce carmen.

Tibi laus, benedictio,
Perpesque gratulatio,
Honor, virtus, et charitas,
O Lux beata Trinitas.

IX.

IN FESTO S. AGNETIS, V. M.

D. xxi. JAN.

E BREVIARIO AMBROSIANO.

AGNETIS, almæ Virginis,*
Natalis est, quo spiritum
Cœlo refudit debitum
Pio sacrata sanguine.

Matura martyrio fuit,
Matura nondum nuptiis:
Nutabat in viris fides,
Cedebat et fessus senex.

Metu parentes territi
Claustrum pudoris auxerant,
Solvit fores custodiæ
Fides teneri nescia.

Prodire quis nuptam putet,
Sic læta vultu ducitur,
Novas viro ferens opes,
Dotata censu sanguinis.

Aras nefandi numinis
Adolere tædis cogitur:
Respondit: Haud tales faces
Sumpsere Christi Virgines.

Hic ignis extinguit fidem,
Hæc flamma lumen eripit:
Hic, hic ferite, ut profluo
Cruore restinguam focos.

Percussa quam pompam tulit!
Nam veste se totam tegens,
Curam pudoris præstitit,
Ne quis retectam cerneret.

In morte vivebat pudor
Vultumque texerat manu:
Terram genu flexo petit
Lapsu verecundo cadens.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine:
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna secula.

X.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO ZAMORENSI MS.

AGNES, agna quæ in lætâ
Agni domo habitas;
Vanitate mundi spretâ,
In veras divitias
Mente totâ inhiasti;
Debellasti, conculcasti
Satanæ illecebras.

Passam funes, passam trahi
Ubi demon habitat,
Numen Regis Adonai
Te potenter vindicat:
Cum dementes in te dentes
Acuerunt ut serpentes,
Circumdat et liberat.

O quam felix chorus ille
Quo nunc astas jugiter!
Virginum quo mille mille
Gaudent æternaliter:
Agnum, Agnes turrem spei,
Agnum Deum, Agnum Dei
Laudantes perenniter.

Aspera fient in plana
  Tuo supplicamine;
Suo Emerentiana
  Baptizetur sanguine:
Te miretur, gratuletur,
Tecum digne copuletur
  Peracto certamine.

Regi sæculorum magno
  Decus atque gloria:
Pari laude virtus Agno
  Sit atque victoria:
Et ab omni creaturâ
Laus Paraclito sit pura
  Qui nos replet gratiâ.

XI.

IN FESTO S. VINCENTII, D. M.

D. xxii. JANUAR.

E BREVIARIO CABILLONENSI.

Christi pugil Vincentius,
Pœnisque magnis debitus,
Libros sibi jam creditos
Custos fidelis denegat.

Spernit preces, spernit minas:
Quid his tyrannus profuit?
Non sacra tradet: nec semel
Christo datam solvet fidem.

Frustra parantur verbera :
Hunc vincla, carcer, laminæ,
Ungues et ignis amplius
Dignum Deo testem probant.

Hæc inter unum prædicant
Te, Christe, robur Martyrum :
Timere nescit funera
Quibus triumphus additur.

Tuos, Deus, sic Martyres
Certare das et vincere,
Quos dum coronas, tu tua
Æquus coronas munera.

Eterne tu Verbi Pater,
Eterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Jesu, tibi sit gloria.

XII.

IN FESTO OMNIUM SS. PONTIFICUM.

D. xxxi. JANUAR.

E BREVIARIO CENOMANENSI.

Sancti Pontifices, præsidium gregis,
Vobis una quies continuus labor :
  Vobis vivere Christus,
  Vobis grande lucrum mori.

In vos turpis opum nil potuit fames:
Thesaurus potior pectora moverat:
Æris prodiga dextra
Sparsit quæ meteret polo.

Quâ duxere tuum Pontifices gregem,
Quâ nos, Christe, præis, currere fac viam:
Duc, ne longius errent:
Serva, ne pereant oves.

Laus, qui Pontifices constituit, Patri:
Pastorum capiti, laus quoque Filio:
Qui pinguedine mentes
Ungis, laus tibi, Spiritus.

XIII.

IN FESTO SS. MARTYRUM

QUI OBIERUNT IN CARITATIS OFFICIO ERGA PESTILENTIA AFFLICTOS ALEXANDRIÆ.

D. xxviii. FEBRUAR.

E BREVIARIO BAZATENSI.

Festus dies non exhibet
Quos sanguis ornat Martyris:
Sed Numini quos igneæ
Vis caritatis immolat.

Mortis ferax cum plurimæ
Lues per urbem spargitur,
Ægros amant invisere
Et commori, dum sublevent.

Jam qui juvarunt languidos
Lethale virus opprimit :
Adsunt et his, qui propriæ
Vitæ ministrent prodigi.

Quos pestifer tenet vapor
Versant, in ulnis confovent :
Et mox humandi deferunt
Humanda collo corpora.

A caritatis munere
Non mors repellit imminens :
Quot morbus ater præripit
Ardens fides tot suscitat.

Sit laus Patri, laus Filio :
Sit par tibi laus, Spiritus ;
Quo dante, mortis nescia
Afflat fideles caritas.

XIV.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI

D. i. MAI.

SANTOLII VICTORINI.

Cui se, relictis omnibus,
Addixerant Apostoli,
Tristes, recenti funere,
Jesum dolebant mortuum.

At vos dolorem ponite:
Se suscitavit mortuum:
Indigna mortis vincula
Rumpendo, se probat Deum.

Pervadit occlusas fores:
Vestro videre se choro,
Artus sacros dat tangere,
Nec temnit oblatas dapes.

Servata monstrat vulnera,
Nostræ salutis obsides:
O quanta nubes testium
Fidem sopitam suscitat!

Apostolorum sensibus,
Qui te revelasti, Deus,
Et te, vacillet ne fides,
Nostris revela sensibus.

XV.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS

D. iii. MAI.

SANTOLII VICTORINI.

E BREVIARIO PARISIENSI.

Signum novi Crux fœderis,
Crux orbis arca naufragi:
Cum jam perimus, nos ratis
Portus refers in patrios.

Telis rubentem flammeis
Ultoris exarmas manum :
Placatur, ut te respicit,
Iras et obliviscitur.

Lethale si vulnus ferat
Infernus anguis morsibus,
Læsi simul te viderint
Repente tu medeberis.

Arâ sub illâ par Deo
Se consecravit victima ;
Hâc sede læsum Filius
Placavit orator Patrem.

Crux sancta ! Crux amabilis !
Crux tincta Christi Sanguine !
Haurire da nos longius
Vitam Dei de funere.

XVI.

AD LAUDES.

Crux fida, languorum Dei
Pendentis in te conscia,
Ejus dolores intimos,
Dic verba, dic suspiria.

Clavi pedes, clavi manus
Fixere duro stipiti,
Cinctum cruentis vepribus
In te recumbebat caput.

Cum morte luctantis Dei
Legis supremos spiritus :
Christus tuo, volens mori,
Vitam reliquit in sinu.

Tu lectus in quo nos parit,
Suggestus e quo nos docet,
Olim tremendum sontibus
Eris Tribunal Judicis.

XVII.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO BRACHARENSI
(HABETUR ET PARTIM IN SARISBURIENSI.)

Crux fidelis terras cœlis
  Miro nectens fœdere,
Nos in laude tuâ gaude
  Devotos incedere

Crux est Thronus in quo bonus
  Pastor oves redimit :
Crux fecundat, crux emundat,
  Crux hostem interimit.

Crux est signum quod est dignum
  Conservare perditos :
Crux est dies per quam quies
  Redditur ad timidos.

Crux est satis fida ratis :
  Crux est horror dæmonum :
Crux est scutum nimis tutum
  Et trophæum militum.

Ara crucis, lampas lucis,
  Vera salus hominum :
Nobis pronum fac Patronum
  Quæ tulisti Dominum.

Salve lignum vitæ dignum
  Ferre mundi pretium :
Confecisti plebi Christi
  Crucis beneficium.

XVIII.

IN EODEM FESTO.

E BREVIARIO FRATRUM HUMILIATORUM.

Salve Crux Sancta, salve mundi gloria,
Vera spes nostra, vera ferens gaudia,
Signum salutis, salus in periculis,
Vitale lignum, vitam ferens omnium.

Te adorandam, te, Crucem vivificam,
Per te redempti, hic te, decus sæculi,
Semper laudamus, semper tibi canimus,
Per lignum servi, per te sumus liberi.

Originale crimen necans in Cruce,
Nos jam a pravis munda, Christe, maculis,
Humanitatem miseratus fragilem,
Per Crucem sanctam lapsis dona veniam.

Protege, salva, benedic, sanctifica,
Populum cunctum Crucis per signaculum ;
Morbos averte corporis et animæ :
Hoc contra signum nullum stet periculum.

Sit Deo Patri laus in Cruce Filii ;
Sit coequali laus Sancto Spiritui :
Civibus summis gaudium sit Angelis :
Honor sit mundo Crucis veneratio.

XIX.

AD LAUDES.

Signum Crucis mirabile
Olim per orbem prænitet :
In quâ pependit innocens
Christus Redemptor omnium.

Hæc arbor est sublimior
Cedris quas habet Libanus :
Quæ poma nescit noxia,
Sed ferre Vitæ præmia.

Tu Christe, Rex piissime,
Hujus Crucis signaculo
Horis, momentis omnibus,
Munire nos non abnue.

Ut ore tibi consomo
Et corde devotissimo
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

Te, summa Trinitas, Deus,
Collaudet omnis spiritus :
Quos per Crucis signaculum
Salvas, rege per sæculum.

XX.

IN FESTO SS. ADRIANI ET NATALIÆ.

D. xvii. JUN.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Gloriosa Jerusalem,
  Mater una Martyrum,
Sors beata post labores,
  Jus pium post turbines,
Quæ tuorum læta cursu
  Promptior attolleris :

Terge luctum, sume plausum,
  Pande portum civibus :
Excipe quos sustinebas
  Post triumphos lætior :
In quibus victrix resultas
  Da decus victoriæ.

* * *

Hujus ergo imprecatu
  Et tuorum Martyrum,
Ferto nobis hanc medelam
  Quâ reatum diluas:
Criminis nodos resolvas;
  Da firmentum gratiæ.

Quo tremenda judicantis
  Cum dies illuxerit,
Festa quorum prædicamus
  Misceamur gaudiis;
Et quibus non est corona,
  Sit fides ad gloriam.

Laus tibi per omne tempus
  Trinitas indifferens,
Laus, honor, virtusque summa,
  Singularis gloria,
Quæ Deum te sæculorum
  Personet in sæcula.

XXI.

IN FESTO OMNIUM SS. MARTYRUM.

D. xxii. JUN.

Quantis nostra fides empta laboribus!
Quam tot purpurei sanguine Martyres
Signatam, caleant ut pia pectora,
    Transmisere nepotibus!

Hâc spiramus adhuc, vivimus hâc fide :
Hinc spes certa venit : nascitur hinc salus :
O nos degeneres, si pigeat viam
Tot tritam ducibus sequi !

Hos non hæreseon impietas tuo,
Princeps Christe, jugo surripuit : tibi
Hos mater peperit : vindicat hos sibi
Dux Ecclesia milites.

Ex hoc fonte diem plenius hausimus :
Christi religio moribus integra
Ad nos usque redit : plena Deo fluit
His doctrina canalibus.

Patri maxima laus, maxima Filio :
Sit par Sancte tibi gloria, Spiritus :
Qui das Martyribus mille neces pati,
Et per funera vincere.

XXII.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

D. xxix. JUN.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Supreme Princeps, Dux gregis,
Qui clausa pandis sidera,
Spectante Româ, clarior
Intras Olympum sanguine.

Affixus alto stipite
Invertis in terram caput:
Quo te magis nunc dejicis
Hâc mente major emicas.

Non ausus erectæ Crucis
Ambire Petrus gloriam:
Cœlo daturus spiritum
Pedes adorat Numinis.

Paulus, magister gentium,
Mactatus ense victima;
Minorque ponit verticem
Christi supremo vertice.

Cursus peregit impigros,
Gaudetque Christo perfrui:
Labore partis arduo
Victor coronis cingitur.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocavit gloriæ.

XXIII.

DE EODEM FESTO.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Apostolorum Passio
Diem sacravit sæculi,
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam, proferens.

Conjunxit æquales viros
Cruor triumphalis necis :
Deum secutos præsules
Christi coronavit fides.

Primus Petrus Apostolus,
Nec Paulus impar gratiæ .
Electionis vas sacræ
Petri adæquavit fidem.

Verso Crucis vestigio,
Suum honorem dans Deo,
Suspensus ascendit, dati
Non immemor Oraculi.

Hic Romæ celsi verticis
Devotionem extulit :
Fundata tali sanguine,
Et vate tanto nobilis.

Præcinctus, ut dictum est, senex
Levatus est ab altero:
Quo nolet, ibit: sed volens
Mortem subegit asperam.

Prodire quis mundum putet,
Concurrere plebem Deo
Electam: Gentium caput
Fidei magistram Gentium?

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne sæculum.

XXIV.

IN FESTO VISITATIONIS B. V. M.

D. ii. JUL.

E BREVIARIO SALISBURGENSI.

De sacro tabernaculo
Virtutum flos egreditur:
In montis diverticulo
Odor Mariæ spargitur.

Ex caritatis germine
Elizabeth appropiat :
Et pietatis culmine
Ipsam devote visitat.

Salutat servam domina,
Hæc matrem Christi nominat :
Confertur ingens gratia ;
Matrem et prolem satiat.

En ! Christi Incarnatio
Per nondum natum panditur :
Adorat hunc cum gaudio
Qui ventre matris clauditur.

Clamat senex in jubilo
Videns Mariæ gloriam :
Beata, credens Angelo
Fuisse rem veridicam.

Hic stupet rerum regula
Mutans naturæ ordinem :
Ubi fiunt miracula
Per solum cœli principem.

XXV.

IN FESTO S. ANNÆ.

D. xxvi. JUL.

E BREVIARIO VETERE ECCLESIÆ PARISIENSIS.

Lucis hujus festa
Colat plebs honesta:
Deum cœli dignis
Confrequentans hymnis.

Mater Matris Christi
Ex hac vitâ tristi
Migrans fide bona
Sumpsit vitæ dona.

Annam sic expresse
Fudit Radix Jesse,
Ut sit Mater Matris
Nati Dei Patris.

Ex hac carnis plantâ
Surgit Virgo Sancta:
Ex hoc fluit fonte
Lapis cæsus monte.

Cœlo jam sublata
Mulier beata
Suo nos precatu
Purget a reatu.

Trino laus et uni
Deo sit communi,
In quo vivit pia
Anna cum Mariâ.

XXVI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

E BREVIARIIS FRATRUM HUMILIATORUM
ET ANGLICIS.

Lauda, Mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Soror Maria Lazari,
Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsâ fauce Tartari
Redit ad vitæ limina.

Post fluxæ carnis scandala
Fit ex lebete phiala :
In vas translata gloriæ
De vase contumeliæ.

O

Ægra currit ad Medicum,
Vas ferens aromaticum:
Et a morbo multiplici
Verbo curatur medici.

Surgentem cum victoriâ
Christum videns ab inferis,
Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebat ceteris.

Trino Deo sit gloria
Pro multiformi grati,
Quæ culpas et supplicia
Remittit et dat præmia.

XXVII.

IN FESTO TRANSFIGURATIONIS AD PRIMAS VESPERAS.

E BREVIARIO FRATRUM HUMILIATORUM.

Gaude, Mater pietatis
 In valle gementium,
Pro ducatu dignitatis
 Christi Regis omnium,
Quo dilecta prædotaris
 In culmine montium.

Ibi patres præcellentes
   In mortali corpore,
Admirantur assistentes
   De tam grandi munere:
Divinum lumen cernentes
   In creato lumine.

Quod vertices prophetarum
   Præcolunt devotius,
Lumen Moses, lumen clarum
   Legis datæ cœlitus,
Et Elias jubar rarum
   Zelo Dei fervidus.

Præsentia Deitatis
   Declaratur provide,
In auditâ voce Patris
   De supremo culmine,
Et Spiritu veritatis
   Formâ nubis lucidæ.

Genitori, genitoque
   Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
   Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
   Compar sit laudatio.

XXVIII.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Exultet laudibus sacrata concio,
Cœli agminibus juncta tripudio,
Pro Verbi gloriâ, quo splendent omnia,
Terra, pontus, et æthera.

Promissus panditur fratrum de medio,
Patris cum labitur vox de fastigio,
Dicens hunc Filium, doctorem cœlicum,
Audituque dignissimum.

Ut sponsa succidit pro fratris semine
Quæ a viro linquitur carente filiis,
Mandante Domino in monte Moisi
Calceamentum solvere.

Formosus specie præ natis hominum,
Vestitus gloriâ fit Sponsus Sanguinis ;
O res mirabilis ! gubernat omnia
Celsus, pauper et humilis.

Te, Trina Deitas, unaque poscimus,
Sic nos tu visites, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas.

XXIX.

AD LAUDES.

Novum sidus exoritur
Christi piâ clementiâ :
Quo tenebrosa premitur
Inimici sævitia.

Insurgere cum nititur
Malignitatis spiritu,
Ex adverso resistitur
Præpotenti exercitu.

Roborantur in acie
Intuentis signaculum
Desudantes militiæ,
Ut bravium corripiant.

Pro quo se cunctis objicit
Beatum in Mysterio
Christus, et tandem perficit
Regnans in cœli solio.

Gloria tibi, Domine,
Potestas et imperium :
Qui certantibus, Hagie,
Aperte monstras præmium.

XXX.

IN EODEM FESTO.

AD LAUDES.

E BREVIARIIS ANGLICIS.

O NATA lux de lumine
Jesu redemptor seculi:
Dignare clemens supplicum
Laudes precesque sumere.

Qui carne quondam contegi
Dignatus es pro perditis:
Nos membra confer effici
Tui beati corporis.

Præ sole vultu flammeus,
Ut nix amictu candidus,
In monte dignis testibus
Apparuisti conditor.

Vates alumnis abditos
Tuis alumnis conferens,
Utrisque te divinitus
Deum dedisti credere.

Te vox paterna celitus
Suum vocavit filium,
Quem nos fideli pectore
Regem fatemur gloriæ.

Concede nobis quesumus
Almis micare moribus :
Ut ad polorum gaudia
Bonis vehamur actibus.

Laudes tibi nos pangimus
Eterne regum rex Deus,
Qui es trinus atque unus
Per cuncta regnans secula.

XXXI.

IN FESTO SS. JUSTI ET PASTORIS.

D. vi. AUG.

E BREVIARIO MOZARABICO.

O Dei perenne Verbum
  Patris ore proditum,
Organum qui imbecille
  Admoves Infantium,
Dans eis spirare flatum
  Vocis ut premant sonum :

Tu pius adesto nobis,
  Solve fibras gutturis,
Ora instrue loquelis,

Corda reple lacrymis:
Ut sacrorum festa dignis
Præcinamus canticis.

Ecce Justus, ecce Pastor,
Ambo juncti sanguine,
Quos pia fraternitatis
Vinxerat germanitas:
Junxit æqualis sacratæ
Passionis unitas.

* * *

Hinc, Deus, te supplicamus
Ut precantes audias,
Pelle morbos, solve vincta,
Et relaxa crimina:
Atque illæsi futuram
Appetamus Patriam.

Nominis tui amorem
Da tuis in servulis:
Temporale nil amemus,
Diligamus invicem:
Te sequamur, te canemus,
Te fruamur perpetim.

Laus tibi per omne tempus &c.

XXXII.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ V.

D. viii. SEPT.

Gaude visceribus, mater, in intimis,
Felix ecclesia, quæ sacra replicas
Sanctæ Festa Mariæ:
Plaudant astra, solum, mare.

Cujus magnifica est generatio:
Cujus vita sacris claruit actibus:
Cujus finis honorem
Summum fine tenet sine.

Quæ Virgo peperit, Virgoque permanet;
Lactavit propriis uberibus Deum,
Portantemque gerebat
Ulnis cuncta trementibus.

Felix multiplici laude puerpera,
Regis porta sui clausa perenniter,
Mundi stella fluentis,
Floris virgula regia.

XXXIII.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

D. xiv. SEPT.

E BREVIARIO NOVIOMENSI.

Jesu, manus, pedes, caput
Perfossus, et sacrum latus :
Fax vox profusi sanguinis
Ascendat ad thronum Patris.

Heu quanta, quorum gratia,
Quantusque dignaris pati!
Occisus Agnus a lupis,
Ut formet agnos de lupis.

Procul tepor, procul pigrum
Cordis fatiscentis gelu :
Immensa Christi nos trahit,
Urget, rapitque caritas.

Quis jam tibi vel vivere,
Jesu, recuset, vel mori?
Qui morte nos servos emis,
Et nos resurgens liberas.

Plagæ tui sint corporis
Ægris asylum mentibus :
A Patris irâ nos tegas
Blando, Redemptor, in sinu.

Sit Trinitati gloria :
Tibi, Pater, qui Filii
Mundum redemptum sanguine
Sancto reformas Spiritu.

XXXIV.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

D. xxix. SEPTEMB.

E BREVIARIO MOZARABICO.

O cœlorum alme princeps
  Michael fortissime,
Summi Regis Christi summus
  Portitorque rutilus,
Ipsâ voce Michaele
  Dicens ; Quis ut Dominus ?

Tu polorúm aulæ decus,
  Tu thronorum civis es :
Dominationum arce
  Virtutumque præmines :
Principatuum, Potestatum,
  Lux coruscans enites.

Tu creatus Creatoris
  Obsequens officio,
Humilem prælatus axem
  Non linquis fastidio:
Ille dum refuga cadit
  Insolens in Tartaro.

Inde tibi summa virtus
  Pollet, vigor inclyte,
Tenebrosis dominari
  Turbis dæmoniacis:
Judicare censor suis
  Zabulum cum Angelis.

Tu salus plebis Judææ
  Cœlo missus lator es:
Almo vati jubar ferens
  Danieli oraculo:
Fortem inquit te bellare
  Pro fideli populo.

Inde quæsumus nos, alme
  Miles, victor inclyte;
Exhibe cunctis renatis
  Nunc demum baptismate,
Quæ præstabas olim pie
  Veteri ænigmate.

Omnis sexus, omnis ætas
  Prompta mundum linquere,
Verum Christi callem clives
  Discamus concurrere :
Quo queamus cœli portam
  Transitum post petere.

Ultimo die, cum ille
  Resurgendo fulserit,
Non reorum sorte vincti
  Mancipemur Tartaro,
Sed urbano lucis loco
  Deputemur liberi.

Tunc honor duplex, dum Sanctis
  Digna merces redditur :
Non indignis mala nobis
  Obligent, qua gessimus :
Sed mutandi transferamur
  Ex fide sideribus.

Laudem soli Trino fantes
  Numini multimodam,
Spiritus, Patrisque et Agni
  Mox adepti dexteram,
Gaudeamus, exultemus
  Affatim per secula.

XXXV.

IN FESTO SS. SERVANDI ET GERMANI.

D. xxiii. OCTOB.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Christe, vere Rex Sanctorum,
  Et sacrator Martyrum,
Tu es veritas et via
  Vitaque credentium :
Tu optantibus das votum
  Et beatis bravium.

Tibi laudum vota pandit
  Cuncta chors Fidelium :
Qui Servando et Germano
  Robur mox eximium
Concessisti, ut triumphent
  Dimicando Zabulon.

* *

Nobilis per vulnus amplum
  Porta justis panditur :
Quosque Christus candidatis
  Aggregat cohortibus,
Miscet choris Angelorum,
  Et coronat præmiis.

State nunc, hymnistæ cuncti,
Voce, votis, munere:
Atque in laudem Sanctorum
Vox cunctorum insonet;
Sit dies hæc festa nobis,
Sit sacratum gaudium.

Gloria Deo Parenti
In excelsis resonet:
Gloriam CHRISTO canamus
Atque Sancto Spiritui:
Cui laüs et potestas
In eterna sæcula.

XXXVI.

IN FESTO S. ELISABETH, REGINÆ.

D. xix. NOVEMB.

E BREVIARIO MAGDEBURGENSI.

HYMNUM Deo vox jucunda
Decantet ecclesiæ:
Nam congaudet lætabunda
Sion mater filiæ
Ascendenti de profundâ
Convalli miseriæ.

Quam regali stirpe natam
  In annis infantiæ
Vir accepit desponsatam
  Indolis eximiæ,
Semper tamen inspiratam
  Voto continentiæ.

Fide, prole, sacramento
  Ratum hoc conjugium
Vero docet argumento
  Quod patrum cœlestium
Vitæ sanctæ documento
  Attingit consortium.

Lege carnis sic ligata
  Non exstinxit spiritum,
Sed implevit fide rata,
  Nec reliquit irritum,
Adeo mens præparata
  Gerebat propositum.

Hæc insignis, hæc beata
  Pauperum nutricia,
Fastu mundi non elata,
  Nec parentum gloriâ,
In se carne trucidatâ
  Crucifixit vitia.

Tandem viro destituta
  Munda mundum exuit,
Mente Christum jam induta
  Saccum carnis consuit,
Et in tempus hoc statuta
  Sic lampas emicuit.

Veras censu paupertatis
  Redimens divitias,
De thesauro pietatis
  Fudit auri copias,
Et multorum egestatis
  Supplevit inopias.

Fecit opus sibi fuso
  Quærens alimoniam:
Et vilescens ipsa sibi
  Sprevit ignominiam;
Sciens soli, Christe, tibi
  Recte dari gloriam.

XXXVII.

IN FESTO S. KATHERINÆ.

E BREVIARIO SYLVANECTENSI.

Pange lingua gloriosæ
Virginis Martyrium;
Gemmæ jubar pretiosæ
Descendat in medium;
Ut illustret tenebrosæ
Mentis domicilium.

Virgo pœnis jam attrita,
Rotarum patibulo
Præsentatur, premunita
Fidei signaculo:
Genuflectit: orat ita
Circumstante populo.

Ut confirmes spem tuorum
Et honorem nominis,
Et elidas superborum
Vim virtute numinis,
Struem Deus hanc lignorum
Ictu frange fulminis.

Vox completur: mox junctura
   Rotarum dissolvitur:
Astans molis expressurâ
   Populi pars sternitur:
Pars Baptismum susceptura
   Virgini conjungitur.

Fide fidens occultatâ
   Regia vox emicat:
Deos Regis detestata
   Christum Regem prædicat:
Tortis mammis cruciata
   Spe constanti dimicat.

Decollari cum jubetur
   Caput offert gladio:
Petit sibi suffragetur
   Virginis oratio:
Ex defectu ne fraudetur
   Palmæ suæ præmio.

Hujus et nos imploremus
   Devote suffragia:
Mentes ita conformemus
   Katherinæ gratiâ,
Ut reginæ conregnemus
   In cœlesti Patriâ.

XXXVIII.

IN FESTO S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

E BREVIARIO HERFORDENSI.

CELSORUM civium inclita gaudia,
Canamus socii factaque fortia:
Nam decet animus ut canat dulcius
Cœlorum laudes principum.

Hi sunt precipui regnorum presides:
Arcendo demones nunquam sunt desides;
Resistunt emulis ut fortes milites
Gygantum genus optimum.

Presunt hi prœliis more juvantium,
Impugnant spiritus sine vecordiâ:
Concurrunt conciti, mens bene conscia
Reportet ut victoriam.

Quæ vox, quæ poterit scriptura texere
Quæ sanctis angelis dantur in munere?
Ut suos milites possint protegere
Ac recto tramite celo dirigere?

Te summa Deitas, devote poscimus
Ut culpas singulas et pœnam auferas:
Cum sanctis angelis nostra sit gloria
Per cuncta semper secula.

XXXIX.

IN NATALI CONFESSORIS.

E BREVIARIO FRATRUM HUMILIATORUM.

LAUDEMUS Christi gratiam,
Confessorum constantiam,
Quorum doctrina fulgida
Splendet Mater Ecclesia.

Qui carnis continentiam
Servantes propter Dominum,
Fragrantes velut lilium
Reddunt odorem optimum.

Quorum, Deus, suffragiis
Absolve nos a vinculis
Resticulis peccaminum
Quibus gravamur nimium.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Paracleto Spiritu
Regnans per omne sæculum.

XL.

DE UNO MARTYRE.

E BREVIARIO MOZARABICO.

Rector, Redemptor, Conditor
Qui tuis olim servulis
Hujus dedisti sæculi
Oblectamenta spernere:

Nobis refunde cœlitus
Tuum Patrisque comparem,
Ut corda nunc tepentia
Conflagrent igne proprio.

Illic, relictis terreis,
Te inspirante perciti,
Strages secuti corporum
Regna poli adepti sunt.

Prostrati inde quæsumus
Quo ob triumphos Martyris
Hymnum Deo persolvimus
Nunc annuis recursibus:

Ipsorum interventibus,
Cunctis ablutos sordibus,
Sursum reduc ab infimis
Sacris reformans sedibus.

XLI.

ALIUS.

EX EODEM.

Deus, immensa Trinitas :
Unitas semper gloriâ :
Pater, Christe, Paraclite :
Rerum invicte Domine.

Qui largitate muneris
Tuo præstasti Martyri,
Cujus festa votissima
Concelebramus hodie :

Tormentaque sævissima
Et varia supplicia
Victrice tuâ dexterâ
Mente robustâ pertulit.

Cujus, acclines, Domine
Te deprecamur largius,
Etherea consortia
Celso dona fastigio.

Qui Princeps esse principum
Rex Mysticus agnosceris,
Agnita nostra crimina
Largâ dele clementiâ.

Adventus ut cum fulgidus
Tuus, Christe, patuerit,
Tuo ducente Martyre
Læti pergamus obviam.

XLII.

HYMNUS IN RESTAURATIONE BASILICÆ.

EX EODEM.

O BEATA Jerusálem,
  Prædicanda civitas!
Quæ tuis læta triumphas
  In supernis civibus:
Innovata Regis amplo
  Claritatis stigmate.

Fulgidum gestans timorem,
  Plena mater filiis,
Pacis almæ gloriosis
  Lætabunda finibus,
Rite restaurata claro
  Sanctitatis lampade.

Hic tui templi refulget
  Sanctior memoria,
Jure restaurationis
  Lucido fundamine,

Quum decoris pollet acti
  Dignitatis sidere.

Te precamur hic adesse,
  Conditor sanctissime:
Hicque promptus consecrandis
  Sedibus inlabere:
Atque consecrator ipse
  Hic adesto jugiter.

Jam templum tui honoris
  Effice nos servulos:
Non caro, non corda nostra
  Militent discrimini:
Sed tuo sacro dicati
  Serviamus Nomini.

Regis hic Altare summi
  Sit coruscum lumine:
Sit honore mancipatum,
  Sit repletum munere:
Sit beatum, sit serenum,
  Sit placens Regi Deo.

Hic tibi nostrorum alma
  Cordium altaria
Consecra, Superne Judex,
  Innovans nos gratiâ:

Sedibus illapsi donans
De supernis munera.

Ut tibi per omne sæclum,
Trinitas Sanctissima,
Sit honor, immensa virtus,
Et perennis gloria,
Qui Deus in Trinitate
Permanes in sæcula.

XLIII.

IN OFFICIO UNIUS DEFUNCTI.

EX EODEM.

Hic functionis est dies:
Credentis in te, Rex Deus,
Functi fidelis spiritum
Traduc choris cœlestium.

Hujus tenebras discute,
Peccata hujus dissice :
Locetur in cœlestibus
Junctus polorum civibus.

Serenus huic micet dies,
Sidus perenne splendeat :
Nullis teratur tediis,
Summis fruatur gaudiis.

Ut inferorum carceres,
Et claustra quæque horrentia
Pertransiens in æthera
Cœli fruatur Patrià.

XLIV.

IN OFFICIO MORTUORUM.

EX EODEM.

Christe Rex, mundi Creator,
  Et Redemptor inclyte,
Vota plebis obsecrantis
  Tu benigne suscipe :
Voce supplice precamur,
  Postulatus adveni.

Mortis olim tu potenter
  Viceras ut principem,
Sæva Tartara petîsti,
  Dira claustra diruens :
Vincla ferrea resolvens
  Et retrusos eximens.

Hoc triumpho confitentes
  Mente pronâ quæsumus,
Mortuis tu des quietem,
  Cum quiete gaudium :

Dexteræ Patris Trophæum
  Cum Beatis omnibus.

Non eos peruret ignis,
  Non catena vinciat:
Vermis illius pavendi
  Nemo pœnam sentiat:
Sed tuo dono beati
  Absque fine gaudeant.

Præstet Unitas hæc semper,
  Atque summa Trinitas:
Cujus est perenne nomen,
  Sempiterna claritas:
Qui Deus Trinus et Unus
  Regnat ante sæcula.

VARIA.

I.

DICTAMEN SANCTI AUGUSTINI AD SACERDOTES.

E BREVIARIO VETERE ECCLESIÆ PARISIENSIS.

Viri venerabiles, Sacerdotes Dei,
Præcones Altissimi, lucernæ diei,
Charitatis radio fulgentes et spei,
Auribus percipite verba oris mei.

Vos in Sanctuario Deo deservitis;
Vos vocavit palmites Christus vera vitis:
Cavete ne steriles aut inanes sitis,
Si cum vero stipite vivere velitis.

Vos estis Catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ovium pastores:
Muri domus Israel, morum correctores,
Judices Ecclesiæ, gentium doctores.

Si cadat protectio legis, lex labetur:
Si sal evanuerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, via nescietur:
Nisi pastor vigilet, ovile frangetur.

Vos cepistis vineam Dei irrigare,
Quam doctrinæ rivulis debetis rigare:
Et spinas et tribulos procul extirpare,
Ut radices Fidei possint germinare.

Vos estis in areâ boves triturantes,
Prudenter a paleâ granum separantes:
Vos habent pro speculo legum ignorantes
Laici qui fragiles sunt et inconstantes.

Quidquid vident laici vobis displicere
Dicent proculdubio sibi non licere:
Quidquid vos in opere vident adimplere,
Credunt esse licitum, et culpâ carere.

Cum pastores ovium sitis constituti,
Non estote desides, sicut canes muti:
Vobis non deficiant latratus acuti;
Lupus rapax invidet ovium saluti.

Grex fidelis triplici cibo sustinetur:
Corpore Dominico quo salus augetur:
Sermonis compendio, quod discrete detur:
Mundano cibario, ne periclitetur.

Ovibus tenemini vestris prædicare:
Sed quid, quibus, qualiter, ubi, quando, quare,
Debetis sollicite preconsiderare:
Ne quis in officio dicat vos errare.

Spectat ad officium vestræ dignitatis
Gratiæ petentibus dona dare gratis;
Sed si unquam fidei munera vendatis,
Incursuros Giezi lepram vos sciatis.

Gratis Eucharistiam plebi ministrate:
Gratis confitemini, gratis baptizate:
Secundum Apostolum cunctis gratis date:
Solum id quod fuerit vestrum conservate.

Vestra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa:
Regularis habitus, mensque gratiosa:
Nulla vos coinquinet labes criminosa.

Nullus fastus deprimat vestræ sinum mentis:
Gravis in intuitu habitus sit testis:
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claves traditæ regni sunt cœlestis.

Estote breviloqui, ne vos ad reatum
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum:
Verbum quod proponitis sit abbreviatum,
Nam in multiloquio non deest peccatum.

Estote benevoli, sobrii, prudentes:
Justi, pii, simplices, casti, patientes:
Hospitales, humiles, subditos docentes:
Consolantes miseros, pravos corrigentes.

Utinam sic gerere curam pastoralem,
Possitis, et ducere vitam spiritalem,
Ut cum exueritis chlamydem carnalem,
Induat vos Dominus stolam eternalem!

II.

DE JUDICIO EXTREMO.

Cum revolvo diligenter
Quid post mortem sit sequenter;
Stabunt justi confidenter:
Jam delector incessanter.

Appropinquat enim dies
In quâ justis erit quies:
Quâ cessabunt persequentes,
Et regnabunt patientes.

Dies illa, dies vitæ,
Dies lucis inauditæ,
Quâ nox omnis destruetur,
Et mors ipsa morietur.

Ecce Rex desideratus,
Et a justis expectatus,
Jam festinat exoratus
Ad salvandum præparatus.

Jam festinat Rex cœlestis
Judex noster atque testis;
Festinanter apparebit;
Omnis caro quem videbit.

Apparebit, non tardabit;
Veniet ac demonstrabit
Gloriam quam mereantur
Qui pro fide tribulantur.

O! quam pium et quam gratum,
Quam süave, quam beatum
Erit tunc Jesum videre
His qui eum dilexere!

Tunc Jesus dulcis affectu,
Et dulcissimus aspectu,
Sic loquetur in affectu
Omnis carnis in conspectu:

Vos in me qui credidistis,
Et qui mecum permansistis,
Qui pro me passi fuistis,
Ecce bonum quod quæsistis!

Ecce regnum quod spopondi
Et quod hactenus abscondi!
Nunc videte, nunc habete,
Nunc regnate, nunc gaudete.

Tunc electi mirabuntur,
Et mirantes lætabuntur;
Exultantes respondebunt
Et laudabunt quæ videbunt:

Deo gratias agamus,
Cernimus quod sperabamus;
Deo gratias agamus
Et Christum benedicamus.

O quam dulce, quam jucundum
Erit tunc odisse mundum:
Et quam triste, quam amarum
Habuisse mundum carum!

O beati tunc lugentes,
Et pro Christo patientes;
Quibus sæculi pressura
Regna dat semper mansura!

Ibi pax erit perennis,
Et lætitia solennis;
Flos et decus juventutis
Et perfectio salutis.

Nemo potest cogitare
Quantum erit exultare,
Et in cœlis habitare,
Et cum angelis regnare.

Ad hoc regnum me vocare
Juste Judex tu dignare;
Quem expecto, quem requiro,
Ad quem anxius suspiro.

III.

CANTUS PEREGRINATORUM.

Audi nos Rex Christe;
Audi nos, Domine,
Et viam nostram dirige!
Deus, miserere;
Deus miserere
Et viam nostram dirige!

O Trine et Une
Cunctos nos protege
In hoc sancto itinere!
Ducem nobis præbe;
Angelum adhibe
Qui nos deducat ante te!

Iter nostrum rege;
Ab hoste defende;
Et ad propriam reduce:
Dexteram extende;
Sinistram submove;
Ab adversis nos defende!

Tu Formator bone,
Jube nos vivere
Regni tui lumine!
Gloria æterne
Maneat cum Patre
In sæculorum sæcula.

IV.

IN NATIVITATE DOMINI.

Congaudeat turba fidelium:
Natus est rex Salvator omnium
In Betleem.
Laudem cœli nuntiat angelus
Et in terris pacem hominibus
In Betleem.
Loquebantur pastores invicem:
Transeamus ad novum hominem
In Betleem.
In præsepe et bos et asinus
Cognoverunt quod esset Dominus
In Betleem.
Tunc Herodes quærit perimere
Quem deberet orandum quærere
In Betleem.
In Ægyptum Maria filium
Transfert timens regis imperium
In Betleem.

Ex humanâ Virgine nascitur
Quo nascente gaudens efficitur
Jerusalem.
Benedicat plebs ergo virginem
Venter cujus cœlorum pertulit
Artificem.
Rege nato sidus exoritur ;
Quo pervio regum conjungitur
Societas :
Par est inter parem intentio ;
Pari quærunt regem consilio
Quo jaciat ;
Eunt, intrant, regem reperiunt ;
Cui aurum, thus, myrrham offerunt,
Et gratias.

V.

IN NATIVITATE DOMINI.

Lilium floruit arvis vernantibus
Quæ fons de Libano lymphis rigantibus
Fovet et relevat Zephyris flantibus.

Eia, eia, eia,
Grex in pascuis
Alludat uberrimis,
Et sequantur agmina
Agnum inter lilia ;

Qui factus est opilio,
Assumpto carnis pallio,
Et per crucis mysterium
Elisit fauces dæmonum,
Elisit fauces dæmonum,
Ferens reis remedium.

Revisit thalamum sponsi præsentia
Qui super cherubim mirâ potentiâ
Volavit prævidens cuncta latentia.
Eia, &c.

Electri species tandem emicuit
Et mare vitreum de Sion exiit;
Anguis teterrimus nunquam interiit.
Eia, &c.

VI.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Cedit frigus hiemale,
Redit tempus æstivale,
Juventus lætatur.

Ecce tempus est vernale,
Quo per lignum triumphale,
(Inter ligna nullum tale)
Genus hominum mortale
Morte liberatur.

Judæorum turbâ duce,
Nucleus exit de nuce;
Nudus ponitur in cruce;
Terra tremit et sol luce
    Propriâ privatur.

Accusatur, condemnatur,
Ligatur et flagellatur;
Aceto, felle, potatur;
Opprobriis saturatur;
    Spinis coronatur.

Gens Judæa, crucifige;
Clamans tormentis affige;
Per membra clavos infige!
Adam Averni de Styge,
    Extractus lætatur.

Gaude plebs religionis;
Dies resurrectionis
Instat: novis plaude sonis;
Expende tempus in bonis
    Dum spatium datur.

VII.

IN FESTIS APOSTOLORUM.

AD LAUDES.

E BREVIARIO LEODIENSI.

Ortu lucis jam proximo
Hymnum dicamus Domino,
Apostolis condebitam
Ferentes reverentiam :

Ut mereamur effici
Horum semper pedissequæ,
Spernentes transitoria,
Tendentes ad cœlestia.

Judex Christus cum venerit
Referre cunctis propria,
Nobis non ad supplicia,
Procurrant, sed ad præmia.

Hoc summa præstet Deitas
Patris, Natique Unici,
Sanctoque cum Spiramine
In sempiterno tempore.

VIII.

IN FESTO S. LUDOVICI REGIS.

E BREVIARIO SYLVANECTENSI.

Gaude, Mater Ecclesia,
Novæ laudis præconio:
Quam Ludovici gloria
Solemni replet gaudio.

De regno terræ tollitur
Ad Regni cœli solium:
Cujus vita dignoscitur
Forma virtutum omnium.

Fide purus, spe patiens,
Et charitate fervidus,
Omni petenti largiens,
Pius, pudicus, providus.

Fraus, furor, violentia
Relegantur a subditis;
Signa coruscant varia
Virtutum ejus meritis.

Pro coronâ justitiæ
Jam coronatus gloriâ,
Nostræ memor miseriæ
Cœli procuret præmia.

Trino Deo et simplici,
  Laus, honor, virtus, gloria:
Qui nos Regis mirifici
  Coronet per suffragia.

IX.

IN NATIVITATE DOMINI.

Novi partus gaudium
Sonet vox fidelium;
Quo lumen de lumine
Prodiens de Virgine,
Purgat Adæ vitium
Veteri caligine.

Umbræ deservierat,
Nec ad lumen venerat
Proles Adæ veteris,
Quam in domo carceris
Princeps mundi clauserat
Jugo pressam hominis.

Non patebat exitus
A speluncâ gemitus
Legis patrocinio;
Semivivo saucio
Sacerdotis transitus
Non fuit præsidio.

Vulneratum reperit
Levita, sed præterit
Nec confert subsidia;
Nam lex sine gratiâ
Vulnus mentes comperit,
Sed sanare nescia.

Baculus præmittitur,
Nec puer erigitur;
Donec dator baculi,
Formam sumens parvuli,
Deus-Homo nascitur
In salutem populi.

X.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Mitis Agnus, Leo fortis,
Triduanæ somno mortis
    Excitatur hodie;
Inferorum fractis portis,
Nos consortes suæ sortis
    Efficit et gloriæ.

Ad sepulcrum cum unguentis
Pari voto piæ mentis
    Accesserunt feminæ;

Afferentes unctionem
Angelorum visionem
Meruerunt cernere.

Par accessus, amor idem ;
Ad eumdem habent fidem
Sub eodem nomine ;
Lapis erat revolutus ;
Quidam eis est locutus :
Nolite metuere.

Festinantes ite retro ;
Nuntiantes visu Petro
Cæterisque propere !
Resurrexit vere Jesus ;
Immortalis et illæsus
Vivit jam in æthere.

XI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

E BREVIARIO SYLVANECTENSI.

Pie colamus annua
Hujus diei gaudia,
Quam Magdalenæ transitus
Ornat Mariæ splendidus.

Hæc est enim quæ lachrymis
Jesu pedes rigans piis,
Felix remissa criminum
Per hoc recepit omnium.

Mundum perosa respuens,
Christumque solum diligens,
Dilectione mutuâ
Donantur ei plurima.

Fratrem dolens hæc mortuum
Quarto die jam Lazarum,
Dono Magistri maximo
Vivum recepit denuo.

Cujus palam conspectibus
Se contuendum primitus,
Ut jura mortis diruit,
Christus resurgens obtulit.

Sit Trinitati gloria
Sit laus, honor, potentia,
Nobisque det perennibus
Frui Mariæ gaudiis.

XII.

DE EODEM FESTO.

Fidelium devotio
Depromat hymnum Domino,
Qui Mariæ Magdalenæ
Sedem dedit in æthere.

In quâ quid esset pietas
Ejus ostendit bonitas;
Quid posset pœnitentia
Patefecit clementia.

Quæ prius enim scelera
Commiserat innumera,
Acceptâ pace veniæ
Regno potitur gloriæ.

Patri, Nato, cum Flamine
Sit laus Eterno Tempore:
Cui semper summa Deitas
In unitate est Trinitas.

XIII.

IN FESTO SS. SACRAMENTI.

AD COMPLETORIUM.

EX ORDINE ECCLESIÆ S. FRAMBALDI SYLVANECTENSIS (A.D. 1521.)

Jesu, nostra refectio,
Panis, potus fidelium,
Mel, melos, jubilatio
Cordis, oris, et animæ.

Quæ te vicit clementia,
Ut nos in hâc miseriâ
Carne cibares propriâ,
Jungens imis celestia?

Tu Redemptor, tu pretium,
Tu nobis es convivium.
Qui sanas nostrum vitium
Tu esto nostrum gaudium.

Qui nobis das tam dulcia
Prægustando preludia,
Te frui des in Patriâ
Beata nobis gaudia.

Trino Deo et simplici
  Laus, honor, virtus, gaudia:
Qui uno Pane refici
  Det nos in cœli curiâ.

NOTÆ.

P. 1. HYMNI MOZARABICI, ut antea dictum est, ex recensione sunt Arevalianâ. Præcipuas e lectionibus Thomasii hic damus.

— — l. 14. Thomasius, *prospero* pro *proprio*.

— 2. l. 7. ——— *Potus, cibique gaudium.*

— — l. 9, 10. ——— *lubrica, ne polluat, lascivia.* Quod equidem a scriptore profectum esse crediderim, eo tamen sensu, ut ablativus accusativi casus vicem occuparet.

— 3. l. 10. Thom., *terræ.*

— 4. l. 2. Omittit Thom. *et.*

— 5. l. 5. *Surgentes ad te, Domine.* Hymnum hunc e MS. dedit Editor Hymnalis Sarisburiensis nuperrimus, p. 9: verbis tamen nonnunquam, plerunque in pejus, immutatis.

— 7. l. 13. Thomasius reliquam hujus hymni partem evulgavit; eumque S. Ambrosio ascribit. Versiculum primum ita legit: *Mediæ noctis tempus est.*

— — l. 16. Thom., *Sanctoque.*

— — l. 8. Thom., *Unius quoque.*

— 8. l. 3. Thom., *Intulit.*

P. 8. l. 6. Brev. Mozarab., *Se victus,* nullo fere sensu. Thom., *Quod ibidem tunc Angelus.*

— — l. 15. Thom., *Spernentes et.*

— 9. l. 1. Thom., *Stultæ vero quæ remanent Quia stinctos.*

— — l. 4. Thom., *Clausâ regis.*

— — l. 2. Thom., *Gestantes splendidas manu;* Daniel, *Gestantes mentes splendidas.*

— 10. l. 4. Thom., *Trinæ virtutis gloriam.*

— — l. 9. Thom., *Hoc* pro *quo. Cunctos,* sc. Apostolos, dedi ex conjecturâ pro *cuncta.*

— 11. l. 17. Thom., *Sextæ.*

— — l. 19. Thom., *Admonet.*

— — l. 23. Thom., *Semina.*

— 12. l. 3. *Figurâ* dedi ex conjectura pro *figuram. Nuntios:* voluit poeta Latine vertere *Angelos.*

— — l. 15. Thom., *Æquali.*

— — l. 18. Thom., omittit *Et.*

— 15. l. 13. Thom., *Passionis.* At ablativus est, pro accusativo positus.

— — l. 17. Ita scripsi e conjecturâ. Thomasius et Brev. Mozarabicum;

Hâc Petrus horâ mystica
Claudi resolvit vincula,
Nunc visionum cognitor
Terno recursu terminat.

— 16. l. 22. *Miseras.* Ita e conjecturâ dedi pro *muneras.*

— 17. l. 14. Thom., *Intenti.*

— — l. 22. Thom., *Ad Patris dexteram.*

— 18. l. 2. Thom., *Judicemque speramus.*

P. 18. l. 11. Thom., *Sequimur.*

— — l. 13. Thom., *Ecce processit hora.*

— — l. 14. Thom., et Arevalus, vitiose, *Spiritus.*

— 20. l. 13. Et hic, et sæpius notandum est, Hymnos Ecclesiæ Gallicanæ recentiores numerum singularem adhibere; in quo a moribus Ecclesiæ antiquioris quam maxime abhorrent.

— 21. l. 2. *Et ipse Munus sanctius.* Egregie disputavit Doctor Angelicus (S. T. 1. Q. 38.) cur Spiritui Sancto istud nomen *Doni* ceu proprium tribueretur. Hoc etiam vocabulo usi sunt poetæ medii ævi: e. g.

Tu dans, tu datum cœlitus,
Tu *Donum*, tu donator.

— 29. l. 5. *Ad nos venis.* Scriptor, contra metri leges, *Nobis ades.*

— — l. 19. Sine dubio respexit poeta Adoptionistarum hæresin quum bis *natum* fuisse Mundi Salvatorem autumat.

— — l. 18. Thomasius, *Almæ, Jesusque, Virginis,* cum Brev. Moz.

— 30. l. 3. Thomasius, *lætus.*

— — l. 6. Thom., et B. M. perquam vitiose, *sacrum.*

— — l. 7. Thom., *Cœleste ut nostris tuum Lumen.*

— — l. 10. Thom., *paratam.* Sed optime, ni fallor, dedit poeta *paratæ:* noctem sc. a Divinâ bonitate in curarum solatium esse paratam.

— — l. 13. Thom., *Quietem nullus.*

— — l. 15. Thom., *Sonet.*

— — l. 20. Thom., *Zelo:* quod forsan recte se habet.

— 33. l. 18. *Sancto Spiritui fons es.* Ex hoc constat

hymnum hunc ante A.D. DCCC. scriptum fuisse: quippe qui Spiritus S. a solo Patre Processionem tam luculenter declaret.

P. 34. l. 7. Ita dedi cum Thomasio, pro vulgatâ Brev. Mozarab. lectione: *Tibi altum vides Thronum.*

— 40. l. 11. Ita e conjecturâ dedi. Excidit enim versus.

— — l. 16. Thom., *Et repellat.*

— 46. *Superba gens mortalium.* Et hic hymnus inter eos est qui, judicibus iniquioribus, in Jansenismi suspicionem incurrant.

— 48. 11. *Nos, sectione plurimâ Aptat peritus Artifex.* In mente habuit poeta hymnum illum de dedicatione ecclesiæ;

> Tunsionibus, pressuris expoliti lapides
> Suis coaptantur locis per manum artificis:

Mihi quidem totus hic hymnus inter pulcherrimos recentiorum videtur, nec ævo meliore indignus.

— 49. l. 12. *Ades:* Ita, spretis metri legibus, poeta.

— 61. *A solis ortus cardine.* De hoc hymno, ut mihi quidem videtur, haud satis disputatum est. Eum hymno Seduliano vetustiorem esse, cui idem est principium, viderunt multi. Acrostichum vero fuisse, vel potius ABCDarium, diligentius intuenti patebit. Vix enim casu fieri potest, ut hi versus ordine legentur: *F*it porta Christi pervia: *G*enus superni Numinis; *H*onor Matris et gaudium: et iterum: *Q*ui, Verbum, caro factum est: *R*orem dederunt æthera. Inde transpositos quosdam, quosdam perditos fuisse, versus non vana suborietur suspicio. Inter primum et secundum inserunt Thomasius aliique:

Gaudete quicquid gentium,
Judæa, Roma, et Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scytha:
Rex unus omnes possidet.

P. 61. *In Festo Annunciationis, Dec.* 18. "Invenitur," inquiunt Patres Concilii Toletani X^{mi} "in multis Hispaniæ partibus hujus S. Virginis Festum non uno die agi." Quare, cum ipsa dies Annuntiationis Angelicæ frequenter in Quadragesimam, nonnunquam in Tempus Paschale, cadat, statutum est ut "solemnitas Dominicæ Matris d. 15. Kal. Jan. omnimodo celebraretur." At in hodierno Mozarabum Breviario ea solennitas bis occurrit: d. 25. Martii, ut recepti in Ecclesiâ usus est: et d. 18. Decemb. sub titulo *Expectationis Partus*, vel *S. Mariæ de la O.*

— 70. l. 19. *Fit Numen eternum Puellus.* Ita e correctione dedi: scripserat enim poeta: "Fit Numen Infans nostrâ formâ."

— 72. *Ecce nova gaudia.* Suavissimum hoc poematium ad canticum propius quam ad hymnum accedere nemo infitias ibit. Id quod et de sequenti æque dici potest. Ambo e Germaniâ originem duxerunt, sæculo xiv.

— 79. *Duci cruento Martyrum.* Ex Hymno antiquiore, *Stephano primo Martyri* (quem invenit H. A. Daniel in solo Breviario Cisterciensi, at extat quoque, teste editore nuperrimo, in uno Brev. Sarisbur. exemplari) hunc hymnum refecit quidam: et satis, meâ quidem sententiâ, eleganter.

— 80. l. 4. *Ferret coronas nominis.* In nomine Proto-

martyris explicando multi sunt poetæ. Adamus de S. Victore:

> Nomen habes coronati:
> Te tormenta decet pati
> Pro coronâ gloriæ.

Brev. Eboracense:

> Et coronâ quâ nitescis
> Almus sacri nominis.

Hymnus ab H. A. Daniel editus:

> Stephani corona Martyris,
> Quod nomen ejus indicat.

P. 81. *Sancte Dei pretiose.* Habetur partim et in Breviario Sarisburiensi: quod ab Henrico Episcopo in Ecclesiam Ulyssiponensem, a Philippâ Lancastriensi in Bracharensem, invectum, haud paucos Lusitaniæ suppeditabat hymnos.

— 82. l. 19. *Patri, non adoptione.* Ex hoc patet hymnum hunc sæculi octavi, vel noni ineuntis esse: quippe qui Elipandianum plane spectet hæresin.

— 84. Hymn. xxiv. *In Dominicâ ante Epiphaniam.* Ab Orientali Ecclesiâ hoc nomen mutuantur Mozarabes: cui Κυριακὴ πρὸ τῶν Φώτων est.

— 85. Hymn. xxv. *Quicumque Christum quæritis.* Ex hymno Prudentiano initium petivit scriptor. Hymnum illum a Pio Papa V. ad Festum Transfigurationis translatum fuisse sat notum est.

— 88. Hymn. xxvii. Ex novatore quodam videtur hic hymnus plurimas tulisse correctiones. Qui tamen contra metri leges *Salus* in primo versu reliquit.

S. Ambrosio ascribit hymnum Hincmarus in Libro *de non Trinâ Deitate.*

P. 88. l. 7. Thomas. et Areval., *Noctem et fulvam faciens.*

— — l. 9. Addit Thomasius:

Certis ut diem moribus peractum
Temperes mundum vicibus recursis:
Atque resolvet omnium labores
Sorte quietis.

— — l. 10. *Referentis.* Thom., *Remanentis.*

— — l. 16. Addit Thomasius:

Thura libamus tibi, magne Rector:
Lumen et sacrum Domino exhibemus:
Fervidum guttas madidumque summo
Vertice nectar.

— — l. 19. Thom.,

Firmet ut sensus placidam quietem:
Mulceat ortus.

— 89. l. 1. Thom., *Nox.*

— — l. 4. Thom., *Nostra fidei supernæ.*

— — l. 7. Ita e conjectura dedi. Libri: *nec ullus Sensus involvat gravior vicissim Spirituum turma.* Thomasius: *ulla—vagantum—spiritum.*

— — l. 15. Thom., *Insonet.*

— — l. 14. Thom., *Gloria.*

— 92. Hymn. xxx. *In Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ.* Quo die Ecclesia Occidentalis plerumque Alleluia deponit usum. Hymnum tamen in Hebdomadâ Septuagesimæ præscribit Hymnarium Wigornense, ut testatur nuperrimus Hymn. Sarisb. Editor.

P. 92. l. 4. *Concinis.* Ita dedi pro vulgato *concivis:* quod nec cum metro nec cum sensu convenit.

— 98. *Christe, lumen perpetuum.* S. Magnum Felicem Ennodium auctorem habent: ut et sequens.

— — l. 6. Thom., *siderum.*

— — l. 9, 10. Thom., *nullis.*

— 101. l. 14. Thom., *Christi cepere gratiam.*

— 102. l. 7. Thom., *Plebs impia: Qui credidit salvus erit.*

— — *Alleluia piis edite laudibus.* Sat notum est, Mozarabes, ut et Orientales, Alleluia in Quadragesimâ frequentius decantasse. Eo quoque utebantur in officiis Defunctorum: id quod Ecclesia Gallicana olim faciebat (cf. Bandominam in Vit. S. Radegundis: Bolland. Aug. p. 82) et Romana; (S. Hieronym. Ep. 77. Ed. Veron.)

Sed ritu peculiari hunc hymnum in hebdomadâ Septuagesimæ decantabat Ecclesia Wigornensis. Vid. nup. Editionis p. 60. In quo tamen repetit chorus, "Alleluia perenne edite laudibus."

— — l. 14. *Unanime.* Ita, metro postulante, dedi pro *unanimiter.* Hymnale Wigorn. *suaviter.*

— 105. Hic hymnus, mirâ quâdam gravitate conspicuus, non nisi in editione Brev. Mozarab. Arevalianâ extat: ut et sequens.

— 108. *Crux benedicta nitet:* Hymnus est Venantii Fortunati.

— 114. l. 2. Thom. omittit *Phase.*

— — l. 4. Thom., *oborta.*

— — l. 5. Thom., *Hinc Christus Rex post biduum Cœnavit vetus convivium.*

— — l. 12. Pro *mentem,* Thom., *carnem.*

P. 114. l. 16. Thom., *regnum.*

— 116. *Cœnam cum discipulis.* Extat pulcherrima hæc prosa et in Missali Eremitarum S. Augustine, unde eam transcripsit H. A. Daniel.

— — l. 14. *humi,* August., *humiliter.*

— — l. 18. *commendavit,* August., *relaxavit.*

— 117. l. 3. August., *Inquit Dominus: Amice ad quid venisti?*

— — l. 12. *præstabatur,* August., *parabatur.*

— — l. 21, 22. Omittit, incuriâ hypothetarum. Miss. Sarisb.

— 118. l. 2. August., *Et vinclis alligatur.*

— — l. 21. August., *et ad ostia.*

— 119. l. 1. Miss. Sarisb., *Ad pudoris cumulum:* August., *tumulum.* Ubi æque ferri possunt lectiones. Hæc Salvatorem ita denudatum fuisse, ut omnis effugerit, et quasi mortuus fuerit, pudor: illa, ad extremum usque pudoris insultum, significat.

— — l. 10. August., *Conclavatur: Christi caro trucibus clavis perforatur.*

— — l. 16. Miss. Sarisb. *Conclavantur.*

— — l. 19. August., *Properans huc anima Currat peccatores.*

— 120. l. 3. Miss. Sarisb., *Et aceto protinus Felle commiscebat.*

— — l. 11. August., *Conquereris.*

— — l. 13. August.,

Nunquid hoc doloribus
Magis sentiebas;
Credo quia hominis
Sitim exprimebas.

Sarisb.,

Nunquid haud doloribus
Magis sitiebas:
Sed salutem potius
Nostram sentiebas.

Quod dedi, ex conjecturâ est. *Hoc*, sc. *sitim.*

P. 120. l. 23. August., *Salutem.*

— 121. l. 1. Sarisb., *Nunc ego.*

— — l. 9. August., *Nulla valet.*

— — l. 17. August., *Corpus quod est mortuum.*

— — l. 20. August., *Matrem cruciabat.* Sarisb., *Pectus conscindebat.*

— 122. l. 6. August., *Et pretium.*

— — l. 9. *Salve mundi salutare.* Ex oratione rhythmicâ S. Bernardi ad membra Christi in Cruce pendentis conflatus est hic hymnus.

— 131. *In Susceptione Coronæ Dominicæ;* i.e. a S. Ludovico factâ; quo tempore Capellam Sanctam (*La Sainte Chapelle*) fieri fecit.

— 138. l. 19. Brev. Magd.,

Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium in mortis agone.

Al. Ut sicut tu passus es pœnas in agone,
Sic labore condolens ut concors sim tuæ coronæ.

Quod dedi, e conjecturâ est.

— 143. l. 4. *Adesque.* Liber, *ades.*

— 144. l. 13. Thom., *perfidis.*

— — l. 15. Thom., *quem non gravi solvit?*

— — l. 17. Thom., *Qui.*

— — l. 18. Thom., *Jesum brevi quæsivit fide.*

P. 144. l. 19. Thom., *Justusque prævio gradu.*
— 145. l. 1. Thom., *Opus stupent et Angeli.*
— — l. 10. Thom., *Ut culpa quærat gratiam.*
— — l. 15., Thom., *omnium.*
— 159. l. 9. Brev., *Si manet semel integrum:* ex quo patet hunc hymnum inter vetustiores esse, postea autem correctum. Quod et de illo versu *Aras supereveheris* verum est: et de illo, *Par sit decus in sæcula.*
— 163. In Festo SS. NOMINIS JESU. Huc retuli varios de istâ festivitate hymnos: sive ea d. iii. Januar. sive in Octavâ Epiphaniæ, sive d. vii. August. celebraretur.
— 165. *Jesus dulcis Nazarenus.* Exstat et hoc carmen in Missali Præmonstratensium: unde transcripsit H. A. Daniel.
— 166. l. 19. *Spinis.* Miss. Præmon., *scissum.*
— 167. l. 3. *Amat benignissime.* Omittit Præm.
— — l. 22. Præm.,

Vulnus, livor, sanguis planus,
Pedes, corpus, vigor sanus.

— 168. l. 22. Præm., *doctus, luminosus.*
— 172. *O nata lux de lumine.* Est hic hymnus inter eos qui vetustiorum hymnorum exordiis quemque versum claudit. Et hoc genus omne referendum est ad sæculum xv exeuns, vel ad initium sæculi xvi.
— 175. l. 19. *Agnes.* Scribebant enim indifferenter, Agnæ, Agnetis, Agnis, Agnes. Sic Prudentius:

Agnes sepulchrum est Romuleâ in domo,
Fortis puellæ, martyris inclytæ.

Sic quoque hymni superioris exordium, secundum quosdam: Agnes, beatæ Virginis.

P. 189. *Apostolorum passio.* Ut videtur, hic hymnus S. Ambrosii est.

— — l. 14. *Suum.* Thom., *Simon:* quæ lectio sine dubio sincera est.

— — l. 17. Thom., *Hinc Roma celsum verticem Devotionis.* Hunc versum cum sequenti transponit.

— 190. l. 2. Thom., *Est allevatus.*

— — l. 6. Thom., *plebem poli: Electa, gentium caput.* Addit, pro versu septimo:

Tantæ per Urbis ambitum
Stipata tendunt agmina:
Trinis celebratur viis
Festum sacrorum martyrum.

— 192. *Lucis hujus festa.* Notandum est, præcipuos in festo S. Annæ hymnos hujus esse metri: ut in Brev. Sarisb.,

Ave mater Anna,
Plena melle canna.

— 193. Hymn. xxvi. S. Odonem, Abbatem Cluniacensem auctorem habet.

— 194. Hymn. xxvii. Hic, ut et duo sequentes hymni, ad normam eorum compositi sunt, quos protulit S. Thomas Aquinas in Festum Corporis Christi. Respondent *Gaude mater pietatis*, et *Pange lingua gloriosæ; Exultet laudibus sacrata concio*, et *Sacris solemniis juncta sunt gaudia: Novum sidus exoritur*, et *Verbum supernum prodiens.*

— 224. *Cum revolvo diligenter.* Poematium, ex quo desumpti sunt hi versus, primus e MS. xii.[1] sæculi publici juris fecit V. D. E. du Meril.

P. 227. *Audi nos Rex Christe.* Hoc carmen, xi. sæculi fœtum, ut et tria sequentia, eidem Editori debemus.

— 232. *Ortu lucis jam proximo.* Rarissimum esse in Breviariis testatur H. A. Daniel, qui initium solum edidit. Breviarium Havelbergense, minus decore, *Ortu Phœbi.*

— 236. *Novi partus gaudium.* Primis edidit Du Meril, ut et sequentem. Forsan Adamum de S. Victore, aut certe discipulum, auctorem habet.

— 238. Hymn. *Pie colamus annua.* Hic hymnus cum sequenti in Breviario Sylvanectensi conjunctus est. Vitiose sane: est enim ille metricus, hic plane *ἄμετρος.* Neutrum alibi vidi. Utræque Doxologiæ ad finem adjectæ sunt.

INDEX.

OXONII: EXCUDEBAT I. SHRIMPTON.